66.
C
9

Digitized by Google

6
25-D
23

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
15 H
4

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
3

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

66.57
66 66
C C
9 6
6-25.D.23
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

De ratione tem PORVM, CHRISTIANIS rebus & cognoſcendis & explicandis accommodata, Liber unus:

THEODORO BIbliandro autore.

DEMONSTRATIONVM CHROnologicarum liber alius, Eodem autore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum locuplete rerum & uerborum in utroque memorabilium Indice.

Bibliothecae Ser. Coll. Rom. Soc. Jesu

BASILEAE.

AD ECCLESIAS CHRISTI PER GERMAniam, *Galliam, Angliam, Daniam, & alias partes orbis Chriſtiani, Præfatio Theodori Bibliandri.*

MAGNA quidē laus eſt uniuerſæ hiſtoriæ, quòd M. Cicero dicit eā eſſe teſtem temporum, lucem ueritatis, uitam memoriæ, magiſtrā uitæ, nunciáq; uetuſtatis, ſine qua ſemper pueri, cuius periti uideātur cū omnibus omnium ætatum atq; ſeculorum hominibus uixiſſe. Verū ea laus & prædicatio, uiri Chriſtiani, propria eſt ſacræ, & nobis, qui IESV CHRISTI cultores ſumus, domeſticæ hiſtoriæ, quā Moſes & alij prophetæ, quam Lucas cæteriq; euāgeliſtæ nobis tradiderunt. Eam nanq; reuera dixeris temporū, & omnium temporū teſtem, quæ ab origine mundi per annos plus quater mille, continua ſerie memorat non res leuiculas, & nugas, ſed res in primis memorabiles, & quarum notitia pertinet ad quoſuis mortales. Ea nūcia uetuſtatis extremæ, quæ cœli ac terræ, & oceani, omniumq; rerū primordia uteriſsimè prodit. Ea eſt memoriæ uita, quā

 niſi

niſi dediſſet parens cœleſtis, obliuio iā ante multa ſecula ea deleuiſſet, quorū perpetuò meminiſse, pertinet ad ſalutē omnium. Ea lux ueritatis eſt, quæ procul abeſt ab omni mendacio: & ſpeculum atq; magiſtra uitæ, quæ res ob oculos ponit maximas, uerā hominis beatitudinē, ſummumq́; bonum, uerā Dei unius religionem, uerā bene beateq́; uiuendi ſcientiam: ueram denique & ſacroſanctam eccleſiam Dei, extra quam nulli hominum ſalus poteſt obtingere.

Cuius hiſtoriæ laudes gentium doctor, & organum Chriſti electum, non tam Ciceroniana & Demoſthenica eloquētia ebuccinat, quàm diuina quadam ui optimè dicendi. Nam ad Romanos ſcribens, poſtquā ad modeſtiam & mutua charitatis fraternæ officia exēplo IESV Chriſti hortatus eſt, ſubijcit: Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtrā doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarū ſpem habeamus. Quę uerba ſacra beati Apoſtoli, ſcripturæ non cuiuſuis, ſed noſtræ, ſed domeſticæ, ſed diuinæ, quæ in Biblijs autenticis habetur, ſubiectum nobis indicat: nimirum Chriſtum, & Chriſti mēbra pios homines, quid'nam illi ſint paſsi, uel potius quid non ſint paſsi ab improbis hominibus: quaq́; modeſtia, patientia, fortitudine, conſtantia pertulerint: & quàm feliciter ex omnibus difficul

tatibus

tatibus eluctati ſint, prȩſentiſsima ope Dei, quæ per medium mare ſiccum iter patefecit: quæ flãmas uehementiſſimas reſtinxit: quæ leonum ferociam mitigauit, ranas uerò & locuſtas & culices armauit in piorũ hoſtes: quæ copiam rerum omnium ſuppeditauit in uaſtiſsima ſolitudine: quæ denique in extrema infirmitate piorum maximas uirtutes declarauit.

Rurſum in hiſtoria diuina cernere licet, tanquam in claro ſpeculo, ut ij qui ſpem ſuã non poſuerunt in Domino, neque metuerunt Deum, quum ſibi uiderentur abundè inſtructi & muniti opibus, ingenio, animi audacia, rerum ſucceſſu, & fortuna proſpera, contra omnem euentum triſtiorem, ſubitò perierint. Sicuti Pharao perijt cum tantis copijs in mari, quod regni eius propugnaculum uidebatur aduerſus hoſtes exteros: ſicuti perijt Og, Seon, & tot principes Chananæorũ: ſicuti perijt Goliath, Senacherib, Baltaſſar, Hamon, Antiochus, & innumeri alij. Ex quibus duo maximi fructus ad lectorem hiſtoriæ diuinæ perueniunt: exemplum patientiæ, quæ uirtus ad ſalutem ueram & æternã obtinendam eſt ſummoperè neceſſaria (ſiquidem ueritas dicit, In patientia poſsidebitis animas ueſtras) & conſolatio plena & ſolida, non inanis, qualis fermè eſt omnis humana conſolatio. Finis porrò his

rò his omnibus eſt propoſitus, ut ſpem habeamus, non ſtultam & fallacem in rebus friuolis, quæ non tam fouet homines, quàm ſtultos & amentes facit: ſed ſpem habeamus certam, firmã, tutam in Deo uiuente: quæ nunquam fruſtratur, nunquam fallit, nunquam deſtituit hominẽ. Beati enim omnes, qui ſperant in Domino.

Ad eundem modum Apoſtolus iter ſalutis munit exemplis ſcripturarũ, Corinthios docens per epiſtolam. Namq; rebus geſtis, quas hiſtoria Moſis commemorat, euidentiſsimè demonſtrat, non ſeruari homines, titulo duntaxat & profeſsione inani, uel potius iactatione religionis, non communione ſacramentorum externa, non ſola uerbi diuini auditione. Quæ non defuerunt ijs, quos Deus per Moſen & Aharonem aſſeruit ex tyrannide Pharaonica, ut duceret in terram olim promiſſam patribus: ſed non omnes Deo placuerunt, non adducti ſunt in optimam terram, imò perierunt omnes in deſertis locis, duobus duntaxat uiris ſeruatis, Ioſue & Caleb, qui perſeuerauere in diuinis mandatis exequendis fortiſsimè.
Cæteri autem uarijs calamitatibus deleti ſunt, non quòd Deus eſſet iniquus, aut impotens, aut immemor pollicitationis ſuæ, aut malæ fidei in præſtando: ſed quòd Iſraelitæ ſic fuerunt meriti. Coluerunt enim idola, etc.

la, erecto uitulo in Oreb: & gladio ciuili perempta ſunt pluſquã tria milia uirorum. Coreh, Dathan, Abiron, On, & alios principes uiros in eccleſia, terra hians deuorauit, quum inſurgerent ſeditioſe in duces ſibi diuinitus præfectos. Populum quoq; etiamnum obmurmurantem, flamma ſubitò exiliens perdidit ad XIIII milia & ſexcentos. Dum nimium indulgent gulæ, neque ſunt contenti cœleſti cibo mannæ, in Sepulchris concupiſcentiæ proſtrati ſunt. In Zalmon autem obmurmurantes ob inopiam aquæ, & faſtidientes cibum angelicum, quem ipſi uiliſsimum dicunt, preſteres ſerpentes enecarunt. Poſtremò capta iam terra duorum regum potentiſs. ultra Iordanem, & ad Iordanem caſtra habentes in campis Moabiticis, dum libidine mala feruntur extra ſepta legis diuinæ, & ſcortantur cum fœminis Madianiticis atque Moabiticis, & accumbũt in epulis Beelphegor, ultio Dei iuſta peremit XXIIII milia uirorum. Atque hæc commemorans beatus Apoſtolus adijcit, Hęc in figura noſtri facta ſunt, hæc paradigmata & exempla nobis etiam propoſita ſunt, ex quibus diſcamus, quid facto ſit opus, quid cauere deceat, ne ſimiles eorum effecti moribus & factis, ſimilia quoque experiamur ſupplicia. Quæ quidem ſcripta ſunt ad noſtram correptionem, in quos fines ſeculo-

 rum

rum deuenerunt: & doctrinam perpetuam continent uſque ad nouiſsimum diem. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, uideat ne cadat.

Porrò in epiſtola ad Ebræos, qua docet rationibus multis & perſpicuis, eandem eſſe religionem patriarcharum & prophetarum, & quam Chriſtus atque ipſius Apoſtoli docuerunt, hortaturq́ in ea religione ut perſeuerent, quum definiuiſſet fidem eſſe rerum ſperandarum ſubſtantiã, uel ſubſiſtentiam, & certam expectationem (nam id ſignificat ὑπόστασις) argumentum autem non apparentium, uim & naturam fidei explicat, & illuſtrat propoſitam definitionẽ exemplis, petitis non modò ex libris autenticis, ſed etiã ex reliqua hiſtoria eccleſiæ. Nam Eſaiam diſſectum eſſe in partes ſub Manaſſe impio, Hieremiam lapidibus obrutum in Aegypto, Andream, itemq́ Petrũ in cruce diſtentos fuiſſe, Eccleſiaſtica nobis hiſtoria tradidit. Et poſtquam in multis fidelibus oſtendit, quantas res efficiat fides, quãtas ſuperet difficultates, quæ bona hominibus adferat, conſeruet, augeat: ſubijcit doctrinam & exhortationem, quæ ad nos quoque hodie pertinet, ô uiri Chriſtiani, uel maximè. Ideoq́ & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus & circumſtãs nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpi-

aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem IESVM. Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet. Quæque ſequuntur.

Vſum ampliſsimum hiſtoriæ ſacræ Aſaph quoq; uates demonſtrat pſalmo LXXVII. Dicit enim, inſtitutum diuinum & ordinationem eſſe in ecclesia Dei, ut maiores poſteros doceant fidem & obedientiam Dei, & obſeruantiam diuini uerbi, exemplis eorum qui uel deflexerunt à regula ſanctiſsima legis, & ob id puniti ſunt: uel ſeruarunt, idq; ſuo maximo bono. Hæc enim ſunt uerba ipſius. Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem ueſtrã in uerba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio. Quãta audiuimus, & cognouimus ea: & patres noſtri narrauerunt nobis. Non ſunt occultata à filijs eorũ, in generatione altera. Narrantes laudes Domini, & uirtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit. Et ſuſcitauit teſtimonium in Iacob, & legem poſuit in Iſrael. Quanta mãdauit patribus noſtris, nota facere ea filijs ſuis, ut cognoſcat generatio altera. Filij qui naſcentur, & exurgent, narrabunt ea ſuis filijs. Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mãdata eius exquirant. Ne fiant ſicut patres eorum, generatio

praua & exaſperans: generatio, quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. Inde ſummatim repetit Aſaph res geſtas ab aſcenſu ex Aegypto, uſque ad Dauidis regnum auguſtiſsimũ, quod Chriſti IESV regnum in typo repræſentauit. Omitto hîc exponere, ut Deus memoriam rerum geſtarum commendet Abrahamo, puniturus quinque urbes ob nefanda flagitia: utq́ Dominus IESVS ueterẽ hiſtoriam commendet: denique multa prætereo, quæ ſunt ab alijs uiris pijs & doctis de laudibus hiſtoriæ prodita.

Sed quum exempla tam præſentia, quàm quæ reperi ſolent ex monumentis literarũ, ut iuuent ac fructum pariant, animaduerſionem poſtulent, quæ circũſtantias omnes & momenta rerum expendit, ac perſpicit ad nos quoque ea ſpectare, unde artifices bene dicendi aptam exemplorũ tractationem præſcribunt: duo tamen uideo, ſine quibus hiſtoria uelut orbata utroque oculo cæca eſt, aut brachijs amputatis mutila. Vnum eſt Geographia, quæ eſt deſcriptio terrarum & locorum, in quibus geſtæ ſunt res memorabiles, & explicat circumſtantiam loci: alterum eſt Chronographia, & Chronologia, quæ certis limitibus diſtinguit tempora, & quando unumquodque euenerit, breui ac luculenta indicatione patefacit. Vtrumque

autem

autem indiget ope Aſtronomiæ & Coſmographiæ: & utrũque ſibi argumentum ſumpſerunt uiri principes in eccleſia, quod literis illuſtrarent, exiſtimantes ſe magnopere hac in parte prodeſſe reipublicæ Chriſtianæ. Vtq; de Chronologia duntaxat hic loquar, quæ temporis circumſtantiam explicat, pauca ex multis attingam, quæ tamen euincunt, in ſcripturis ſanctis, & omnibus adeò rebus Chriſtianis tum cognoſcendis tum explicandis, neceſſariam eſſe exactam & certam rationem temporũ. Ac primò quidem audiatur Apoſtolorũ princeps Petrus, qui cap. 1. prioris epiſtolæ clarè dicit, prophetas non modò prædixiſſe paſsionem Chriſti, & gloriam quam adeptus eſt, factus caput eccleſiæ catholicæ, & omnium Dominus, atque ſeruator: ſed ſpiritu Chriſti, quo donati fuerunt, ſcrutatos etiam, quo & quali tempore unũquodq; fieret. Quemadmodum Daniel à reparata urbe Hieruſalẽ poſt reditũ è Babylonia uſque ad Meſsiam definit ſeptuaginta hebdomadas annorũ, hoc eſt, annos CCCCXL. Et numero dierum, non annorum aut menſium, ſed dierũ punctis negocia quædam conſignat. Deinde Paulus, organum Chriſti electum, Nazareorum hæreſim, quæ ita repoſuit in Chriſti fide ſalutem, ut contenderet interim neceſſariam eſſe circumciſionem, & imple-

tionem legis per Moſem traditæ, indicatura exacta temporis, quo Abraham eſt iuſtificatus, fide amplectẽs diuina promiſſa, ceu una plaga inflicta iugulat. Sic enim ratiocinatur in epiſtola ad Galatas, cap.3. Abraham ante annos CCCCXXX. quàm lex Dei promulgaretur per Moſem, hæreditatẽ cœleſtem æternæ uitæ conſecutus eſt, credens promittenti Deo. Non igitur propter iuſtitiam ex legis obſeruatione profectam iuſtificatus eſt. Et ex Abrahæ tam luculento exemplo generale quiddam infert rectiſsimè: Omnes filij Dei eſtis, & hæredes bonorum, quæ Deus gratuito & mero beneficio largitur, per fidem quæ eſt in Chriſto IESV.

Iam uerò Dominus IESVS in ſua reuelatione, quam per angelum ſuum, & Ioannem diſcipulum dilectũ Eccleſiæ tradidit, acceptũ à patre cœleſti, prędicit dominatum quendam tyrannicum afflicturum eſſe eccleſiam Dei uerã, ſicut fecit Nero, Domitianus, & alij. Et uocat beſtiam habentem duo cornua ſimilia agni, utique Chriſti æmula: quæ tamen loquatur ut draco, ut cacodęmon, & ſæuiat nihilo clementius quàm fecit prior beſtia, quæ Petrum & Paulum, & agmina ingentia ſanctorũ proſtrauit. Quæ quidem portentoſis operibus in eum ſtuporem conuertat mundum, ut nemo poſsit emere aut uendere, niſi habeat characterem aut no-

men beſtiæ. Nomen autem notis literarum χξϛ myſticôs profert, & ad indagãdum excitat dicens: Hîc eſt ſapientia. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex. Quid ſibi autem uolunt notę, niſi ut tempus inueſtigemus, quo bellua iſta prodeat è terra & abyſſo, & uaſtet rempub. Chriſtianã? Quomodo autem aptabis, niſi certũ habeas tempus, quo Pompeius ſceptrum Iudæis eripuit, iuxta celeberrimum uaticinium Iacob: & ingreſſus in templum, adytum ipſum etiam prophanauit? Id uerò factum eſt Coſ. Cicerone, Ioſepho etiam teſte, anno LX ante Chriſtum natũ. Illis annis LX ſi adiũgas DCVI, peruenies ad mortem Gregorij magni, qui uaticinatus eſt, fore Antichriſtum, uel antichriſti præcurſorẽ, qui uellet haberi catholicus epiſcopus omnium epiſcoporum, & princeps omnium eccleſiarum. Circumſpice igitur oculis uigilantibus, qualia tempora fuerint anno 666 à capta Hieruſalem per Romanos duce Pompeio, & ſtupenda quædam occurrent temporibus Phocæ imperatoris. Deinde numerum iſtum myſticũ plenum ſapientia quadam ſingulari, apta natali Chriſti, apta paſsioni Dominicæ, apta ei tempori quo Titus euertit urbem: aut Domitiani XV anno, quando Apocalypſis ſcri

pta eſt:

pta eſt : & ſemper aliquid monſtrorũ in ec‑
cleſia offendes. Itidem prædixit Domi‑
nus, ſatanicam tyrãnidem graſſaturam eſſe
exactis annis mille, quib. Chriſtus regnum
tenuit in terra. Eum numerũ diuinitus pro‑
ditum accommoda natali Dominico, ſiqui‑
dem magi ut regem adorauerunt : aut ad
tempus paſsionis & reſurrectionis, quia
moriendo factus eſt Meſsias, Petro atteſtan
te: quòd hunc IESVM quem crucifixerũt
Iudæi, Meſsiã Deus fecerit : quin & Pilatus
ſcripſit regem Iudæorum : aut ad excidium
gentis Iſrael, hoc eſt, LXXIII annũ à natali
Chriſti : & apparebit notatione temporis,
Chriſtum res maximas uoluiſſe patefacere
ſuis electis.

Sed conſideremus iam, ut IESVS Chri
ſtus Dominus ac Deus noſter, idemq́ue uni‑
cus magiſter eccleſiæ catholicæ, ratione tem
porum diſputationes famoſiſsimas, acer‑
rimas, graues, diuturnas, quæ ad omnes
pertinent, in quibus omnium ſalus uerſa‑
tur, mirificè terminet. Quatuor enim ſunt
quæſtiones inter ſe connexæ, in quib. Chri‑
ſtianiſmus totus, totaq́ue ſapientia contine‑
tur : quæ'nam ſit uera hominis beatitudo,
& ſummum bonum : quæ ſit uera religio,
qua ſola homines euadunt participes ſum‑
mi boni, & felices : quæ ſit uera ſapientia,
ſcientia bene beateq́ue uiuendi, ac Deum ritè
colen‑

colendi: quæ ſit eccleſia Dei, & cœtus ille ſanctus cum ipſo Deo cōfœderatus. De quibus rebus, quum ſint cognitu & obſeruatu neceſſariæ ad ſalutem omnib. mortalibus, & ſint copioſe ac luculenter expoſitæ in ſacris literis, diſputant tamen atque contendunt inter ſe non tantum Chriſtiani, & Iudæi, Turcæ, Saraceni, Pagani, ſed ipſi etiam Chriſtiani, homines uulgares, docti, philoſophi, theologi, principes, epiſcopi, archiepiſcopi, cardinales, ſummi denique pontifices. Quid autem me adtinet multis exponere, quæ de antiquitate & ueritate religionis, doctrinæ, & eccleſiæ digladiationes ſint, & indies gliſcant inter ſocios nominis Chriſtiani, quum res ſit omnibus notiſsima? Multi autem uiri ſapientes & moderati iam diu quærunt aliquam turbarum ſaltem mitigationem, ſi non detur penitus ſubmouere. Atque in ea re conſilia multa hominum iam euanuerunt. Vt res ipſa clamet, opus eſſe diuinis conſilijs, & humana remedia nihil hic ualere. Cognoſcamus igitur modum rectè agendi in tantis controuerſijs, quem Chriſtus monſtrat, & ſuppeditat efficaciſsimas rationes, & quæ homini uerum perſuadeant, ſi modò non ſit reprobæ mentis, ut diem noctem, & noctem diem appellet, lucem tenebras, & tenebras lucem, amarum dulce,

& dulce amarum, bonū malum, & malum bonum, ueritatem mendacium, & mendacium ueritatem. Componit enim Dominus Chriſtus in ſua prophetia & theologia Deum ſummè bonum, cuius participes & conſortes ſoli beati ſunt: & diabolum, qui ut uenenatiſsimus draco, diffundit omnia mala in orbem: componit ueram religionem, & commentitiam: componit ueram doctrinam, & falſam: componit per antitheſin, ueram catholicam & unicam eccleſiam Dei, & conſpirationes aduerſarias. Deinde per inductionē partibus ſeptem aptatam, quas colligit ex mundi ætatibus, concludit quænam ſit una uera certa indubitata immutabilis beatitudo, & religio, & doctrina religionis, & eccleſia Dei: à quibus cæteræ omnes ſeiunctæ & ſeparatæ ſunt, quocunque ſeſe fuco & titulis uenditent. Et ſi uerò longè plures partes ex omnibus ſeculis, aut etiā ſingulis annis poterant colligi, eſt tamē ſeptenaria illa inductio ſufficientiſsima: ut tres partes tēporis ſint ante Chriſtum, tres poſt Chriſtum, una in medio poſita, quum ipſe Dei filius in terra uerſaretur, ac doceret uiam ſalutis uerbo & operibus, eiusq́ue diſcipuli, & diſcipulorum eius diſcipuli. Nam quæ fuit eccleſia uera Dei temporibus Adami, aut Noe, aut Moſis, aut Chriſti, aut Cōſtantini, aut ſæuientibus iam bel-

luis in eccleſia, aut ſatana tyrannidem exer
cente in mundo,aut Deo uarijs modis iam
inſtigante homines ad reformationem ex-
terioris eccleſiæ,ea eſt uera Dei & catholica
eccleſia omnibus ætatibus, ubiq; locorum,
in quouis ordine hominum. Atq; eadem ra
tione de alijs quæſtionibus agitur. Eam ue
rò demonſtrationẽ illuſtrat Dominus pa-
rabola duplici : quarum alteram ſumpſit à
pacata republica,alteram ab ea quæ infeſta
tur bellis. Vt enim quæuis ciuitas in albo
conſcribit nomina ciuiũ, apertoq; libro eò
patet legentibus, qui'nã ciues ſint:ita Chri
ſtus,Dei uerbum,quo ſolo Deus gubernat
omnia,ſingulis ætatibus unam paginam fa
talis libri aperuit, in quo adſcripti ſunt per
tinentes ad uitam æternam:utiq; omnes il-
li,& ſoli illi,qui credunt in filium Dei, pro
miſſum à primis temporibus. Qui aũt non
credunt,iam ſunt damnati.Rurſum in bel-
lo, tubarũ cantu infeſtæ acies cõmittuntur,
& excitãtur milites in arma. Ad eum modũ
omnibus ętatibus hoſtis Dei & humani ge
neris bellicũ cecinit, & mouit arma contra
omnia inſtituta Dei. Fuitq; ſemper eccleſiæ
in terris militãdum ſub ſignis crucifixi filij
Dei:nec quiſquam coronatus eſt,niſi qui le
gitimè certauit. Ita quidem Chriſtus do-
cet argumenta idonea explicandis illis quę
ſtionibus de uera beatitudine, religione,

doctrina, & eccleſia Chriſtiana, ex hiſtorijs præcipuè quidem ſacris, deinde & alijs, quę certa nobis & explorata fide cõmemorant res geſtas, petere. Quo pacto Apoſtoli egerunt: quo pacto Irenæus, Tertullianus, Auguſtinus, & alij doctores eccleſiæ tum antiquitatem, tum ueritatem, noſtrę profeſsionis Chriſtianæ adſtruxerunt: hæreticorum autem nouellas plantationes, & poſt doctrinam per Apoſtolos atq; prophetas diuinitus patefactam in ſcripturis ſanctis, inuectas, radicitus euerterunt.

Sed quum in ratione temporum hactenus inter ſcriptores etiã eccleſiaſticos, multa ſe offerat diſcrepãtia, mihiq; uiderer longa & acri perueſtigatione ueritatem aſſecutus: exiſtimaui me daturum eſſe magnum beneficium eccleſijs Chriſti ubiq; terrarum, ſi eam rationem temporum certam exhiberem ſcripto publico: & oſtenderẽ modum, quo puto hiſtoriam uniuerſam reuocatam ad abacum & calculos, rectiſsimè accõmodari poſſe Chriſtianis rebus cognoſcendis & explicandis. Quam opellam offero & dico uobis eccleſijs & ſpõſis Chriſti IESV, ipſe quoq; per Domini gratiã conſors bonorum, quæ pater cœleſtis in filio ſuo unigenito cunctis, qui ſalutis cupidi ſunt, donauit. Neque à me alienas eſſe iudico afflictiones, quæ hoc ſæuiſsimo tempore mul-

tis pijs

tis pijs eueniunt,non ſine Dei prouidentia & nutu: qui non ſinet tentari ſuos ultra facultates, quas ſumminiſtrat Dominus clementiſsimus, dabitq́ꝫ ſuo tempore feliciſsimam conuerſionem, ut nullo ſeculo eccleſiam ſuam deſtituit: horrendis autem ſupplicijs inimicorum ſuorum ſępiſsimè declarauit,quàm ſibi curæ ſit eccleſia,quam ante ſecula elegit in filio unigenito,& quam ſanguine filij ſui redemit, ſibiq́ꝫ conſecrauit,& hæredē inſtituit ſempiternæ felicitatis cum Chriſto rege regum, & maximo ſacerdote & pontifice animarum noſtrarum. Cui debetur omnis laus, uirtus, gloria, uictoria, & imperium, in ſecula ſeculorum. Amen.

Scriptum Tiguri,6 idus Auguſti.

M. D. L.

SCRIPTVRAE SACRAE LOca huic operi inſerta, & explicata.

Gen.1. Appellauitq́; diem lucem 17.15

Gen.3. Inimicitias ponam inter ſemen tuum 61.14

Gen.8. Cunctis diebus terræ ſementis et meſſis,&c. 89.20

Exod.12. *Menſis iſte uobis principium menſium erit* 58.14

Exod.12. *Habitatio filiorum Iſrael.* 170.22

Ioſue 10. *Sol ſtetit* 22.5

Iudic.7. *Gedeon uigilijs nocturnis ingreditur caſtra Madian* 25.16

Iudic.11. *Iuxta Iordanẽ per trecentos annos.* 183.5

1.Reg.11. *In uigilia matutina ingreditur Saul caſtra Moabitarum* 25.18

1.Reg.13. *Filius unius anni erat Saul.* 186.5

2.*Paral.*22. *locus,* 195.4. *item*

2.*Paral.*15. *alius,* 191.15

*Eſa.*38. *Sol in horologio Achas reuocatus* 22.8

Ezech.40. *In uiceſimo quinto anno* 132.20

Prouerb.8. *Ante omnes colles* 45.15

*Pſal.*101. *Et anni tui nõ deficient* 107.16

*Pſalm.*129. *A custodia matutina uſq; ad noctem* 25.20

Eccl.3. *Mundum tradidit diſputationi eorum* 45.10

Matth.13. *Zizaniam dormientibus, &c.* 24.8

Matth.14. *Quarta uigilia noctis* 25.22

Matth.

Matth.20.Exijt mane, et hora tertia, ſexta, nona & undecima. 27.2
Matth.27. Emiſit ſpiritum 27.7
Marc. 6. Ad diſcipulos quarta uigilia noctis uenit Chriſtus 25.23
Marc. 16. Valde mane una ſabbathorum. 32.7
Luc. 6. Sabbathum ſecundoprimum. 32.13
Lucæ 18. Ieiuno bis in ſabbato 32.6
Lucæ 21. An Dominus uenturus ſit uigilia ſecunda, an tertia. 25.25
Ioann.2. Quadraginta & ſex annis extructum eſt templum. 222.1
Ioann.11. Nónne horæ duodecim diei ſunt. 26.26
Act.1. Non eſt ueſtrum noſſe tempora. 5.25
Act.2. Petrus concionatur hora tertia. 27.4
Act.3. Ad horam precationis nonam. 27.10
Act.7. Deus gloriæ apparuit. 171.11. & 177.20
Act.13. Locus emendatur 185.21
1.Cor. 15. In momento. 13.24
Gal. 3. Quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt 170.25
2.Pet.3. Quia unus dies apud Dominũ ſicut mille anni 106.6
Apocal. 6.&8. De ſigilli ſecundi apertione. 165.20. et 179 23
Apocal. 8. Quaſi media hora 13.20

F I N I S.

CASTIGATIONES LIBRI prioris. Notat autem a ſupremam ſolij partem, b mediam, c imam.

In præfatione fol. 6. facie priori b. pro CCCCXL, *lege* CCCCXC

Facie altera b. acceptum, lege acceptam. Ibidemq́;, æmula, lege æmulam

Fol. 7. facie priori b. LX. *lege* LXII. *&* DCVI. *lege* DCIIII.

Loc.	Mend.	Caſt.
133	*a* Peloponenſum	Peloponeſum
135	*c nota*	*notata*
140	*b 555.*	450.

LIBRI POSTERIORIS Demonſt. Chronologic.

147	*b Thalum*	*Thallum*
150	*b Domini corp.*	*Dominici*
154	*c Canticis*	*Chronicis*
165	*c Schälachh*	*Schälahh*
168	*c Arah*	*Acach*
169	*a* CXXXIII	CXXXI
173	*b deſcendit*	*deſcendite*
181	*b Auguſtinus &c. iungenda cum ſuperioribus.*	
186	*b Iſrrelis*	*Iſraelis*
193	*b Ioſaphate git*	*Ioſaphat egit*
202	*a Achaz filius*	*adde Ioatham*

b Ioathan

L.	M.	C.
	b Ioathan	Ioatham
208	b regnaſſe 40	adde, annos
214	b adijciuntur	ponendum eſt poſt 2. Paral. 36
223	b ab hoc	iunge ſuperioribus.
	b olymp. 73	pone, ad 265 annum urbis Rom. et per totum folium uno gradu promoue Olymp.
226	Artax.	appone 40 ſub Perſarum & Olympiadū 89 ad 329 urbis, & ſic per totum foliū iſtud.
239	17 ad 637	pone, ad 636
247	a diuerſoſorio	diuerſorio
	c CLXXXIXIII	CLXXXXIIII
249	c II CCC	II CCC
256	b cerimon.	cærim.
259	b X.C.	X.Cap.
262	b Vlpianus	Vlpius
269	b adijcit dies	adde, octo
272	a Conſtantinus Chlor.	Conſtantius
273	c auexit	auehit
274	c imperauit Maur.	imperante

IN INDI-

IN INDICE OBITER hæc emendabis.

pro Abeſſam, lege Abeſſan	
Aegyptus quando facta prouincia Romana	
Anatolius, utitur teſtimonio Ariſtobuli, unius LXX interpretum	
Arſee	Arſes
Charras	Charræ
Chocas	Chocak
Cenam	Cenan

cuthei	Cuthei
Conſtantinus Chlor.	Conſtantius
diei & noctis peruigil.	
Enoch	Hhanoch
Haron	Haran
Ioachaz filius Ioſiæ	
Nabonegarij	Nabonogarius
Octoeterides	
Phlegeton	Phlegon

Ad cætera æquus lector facilè conniuebit.

DE RA-

DE RATIONE TEMPORVM ACCOMMOdata Chriſtianis rebus & cognoſcendis & explicandis, liber Vnus.

ETSI *uideri nonnullis poſſit, non tam ad chronographos pertinere, q̃ ad aſtronomos & coſmographos, et phyſicos & metaphyſicos, atque eos etiam qui faſtos & computos ſcribunt aut emendant, exactius indagare & explicare temporis rationem: tamen quia res memorabiles, quæ alio atque alio tempore apud diuerſos populos euenerunt, qui non congruunt per omnia in ratione dierum, menſium, & annorum, non poſſunt reduci ad certam rationem temporis, quod chronologia pollicetur: exiſtimaui operæprecium fore, ſi uno libro tẽpus & eius partes ſummatim explicarem ex optimis autoribus. præſertim quum ſit inter autores claſſicos hac in parte magna diſcrepantia: ut inter horologia propè diuerſorum locorum magis conueniat, quàm inter uiros doctiſſimos, etiam temporum calculatores exactos, in ratione tempo-*

rum. Quando Alphonſus rex, quem Ioannes de Mōte regio, eximius mathematicus, et alij multi ſequuntur, duplo propemodum maiorem numerum annorum à condito mundo ad CHRISTI incarnationem uſque tradidit, quàm calculo ſubducto probari poßit. Quæ eſt maxima perturbatio hiſtoriæ, & aſtronomiæ, & omniū liberalium artium. Taceo quòd patres eccleſiaſtici, ueluti qui Niceæ faſtos emendarunt in concilio Oecomenico, annos à condito mūdo ad D. CHRISTI natalem numerarūt 5500. cumq; numerum ad apoſtolos ipſos autores aliqui retulerunt. Qui tamen à uera, quam ex ſcripturis ſanctis & ſcriptoribus exteris dabimus, computatione diſsidet annis M. D. circiter. Omitto, ut Fl. Ioſephus, quem inter eccleſiaſticos ſcriptores noſtri cenſores numerarunt, in ratione temporum aliquoties ſecum ipſe diſcrepet: quod etiam alijs nonnullis ſcriptoribus accidit. Proinde chronographia in primis poſtulat, certum modum temporis, & eius aptam diſtributionem, ſine qua, tanquam Theſei filo, hiſtoria erit Labyrinthus inextricabilis. Quod uerbis Ioannis Lucidi Samothei, qui emendationē temporum magno ſtudio & diligentia molitus eſt, exprimere libet. Sic enim ſcribit in præfatione decimi libri primæ partis, quam uocauit Canonicam:

nicam:

nicam. Temporum canones ad rerum geſta-
rum integram notitiã adeò pernecеſſarij ſunt,
ut abſq; ipſorum cognitione ſi quis hiſtoriarum
ſcientiam ſibi uoluerit arrogare, ſemetipſum de
ludat: cum omnia quæ motui ſubiecta ſunt, me-
tiri tempore oportere, nulli dubium ſit: & id
quod menſura dirigitur, abſq; metiente ad ple-
num cognoſci non poßit. Quapropter chrono-
graphi & hiſtorici, qui neglecta temporum ra-
tione, hominum geſta deſcribũt, meritò repre-
hendi poſſunt. Et hæc directio temporum uni-
cè meretur eam laudem, quam chronologiæ tri
buit D. Eraſmus Roterodamus in præfatione
T. Liuij, diſſerens de chronologia Henrici Gla-
reani. Ea chronologia commonſtrat temporum
ordinem, bellorum ſpecies, ac perſonarum no-
mina: in quibus hactenus fuit mira cõfuſio, ſcri-
barum ac ſciolorum uitio inducta. Atqui hæc
erat unica hiſtoriæ lux. Quod ſi hæc abſit cy-
noſura, cæca prorſus eſt in hiſtoriarum pelago
nauigatio. & niſi hoc adſit filum, inextricabi-
lis error inuoluit lectorem etiam eruditum in
his rerum geſtarum labyrinthis. Venerabilis
certè Beda Chronologiam ſcribens, maiorem
patem abſumit in explicatione temporum, quã
ex profeſſo tamen deriuat ex phyſiologia, quæ
rerum naturam explicat. Neque dubito, Euſe-
 bium

bium Cæſarienſem in Chronicis *canonibus, quorum epitome duntaxat ad nos peruenit, diligenter expoſuiſſe rationem temporum. Quanquã ipſi etiam ſcriptores hiſtoriæ ſæpißimè adhibẽt eam diligentiam, ut temporum ſpacia & interualla, quæ diuerſa ſunt apud diuerſas nationes, inter ſe concilient.* Quod Ioſephus *agit frequentißimè, componens menſes* Ebræorum, Aegyptiorum, & Macedonum. *Et* Epiphanius Domini Ieſu *natalem, aut circuncißionem, aut paßionem, ad multarum gentiũ calculos, reuocat. Quæ diligentia in* Plutarcho *& alijs ſcriptoribus ethnicis etiam perſpicitur. Proinde cenſui, priuſquam res* Chriſtianas *à cõdito mundo uſque ad noſtra recenſeo tempora, in genere dicendum eſſe de ipſo tempore, à quo chronologia nomen accepit, nec non diebus, horis, menſibus, annis: denique de omnibus temporis interuallis ea ſcribere ex optimis autoribus, quæ huic inſtituto maximè ſeruire uidentur.*

TEMPVS, ET EIVS PARTES.

T*Empus eſſe dicunt, ait* M. Varro *libro* 5. *de* Lingua Latina, *interuallum mũdi & motus.* Id *diuiſum in partes aliquot, maximè ab ſolis & lunæ curſu.* Itaque *ab eorum tenore temperato, tempus dictum: unde tempeſtiua,* Græci *χρόνον dicunt, quaſi κρόνον, quem &* Saturnum *dicunt.*

dicunt. Quod à κερνᾶν, & κράσει, hoc eſt, à miſcendo & temperatura deriuatum eſſe uideri poteſt. Ebræi dicunt eth: unde etiam deſcendit atthah nunc, aduerbium temporis.

Tempus autem definire, quid ſit, non modò M. Tullius & Ariſtoteles, Romanæ & Græcæ tum eloquentiæ & doctrinæ principes, fatentur, ſed etiam Auguſtinus, acutiſsimus theologorum. Ait tamen Auguſtinus libro 11. Confeſsionum, ſibi uideri tempus, menſuram, qua metimur corporum motum, ut ſolis, lunæ, ſiderum, & aliorũ. A' qua definitione Ariſtoteles nõ diſcrepat in 4. libro Naturalis auſcultationis. Definit enim, tempus eſse numerum atque menſurã motus, ſecundum prius & poſterius: idq́; per ſe ac propriè, ſed & quietis talem menſuram, per accidens.

In tempore ſpectatur, & ex tempore ſumitur, aliquid aggrediendi atque conficiendi facultas. Quam Latini occaſionem uocant, Græci καιρὸν, Ebræi zeman. Vtrumque Dominus CHRISTVS comprehendit, quando ſciſcitantibus diſcipulis, Nunquid Domine in tempore hoc reſtituis regnum Iſraeli? reſpondet: Non eſt ueſtrum noſſe χρόνους tempora, & καιροὺς momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate: ut Actorũ 1. cap. legimus. Quæ non in eam ſen-

bium Cæſarienſem in Chronicis canonibus, quorum epitome duntaxat ad nos peruenit, diligenter expoſuiſſe rationem temporum. Quanquã ipſi etiam ſcriptores hiſtoriæ ſæpiſsimè adhibẽt eam diligentiam, ut temporum ſpacia & interualla, quæ diuerſa ſunt apud diuerſas nationes, inter ſe concilient. Quod Ioſephus agit frequentiſsimè, componens menſes Ebræorum, Aegyptiorum, & Macedonum. Et Epiphanius Domini Ieſu natalem, aut circunciſionem, aut paſſionem, ad multarum gentiũ calculos, reuocat. Quæ diligentia in Plutarcho & alijs ſcriptoribus ethnicis etiam perſpicitur. Proinde cenſui, priuſquam res Chriſtianas à cõdito mundo uſque ad noſtra recenſeo tempora, in genere dicendum eſſe de ipſo tempore, à quo chronologia nomen accepit, nec non diebus, horis, menſibus, annis: denique de omnibus temporis interuallis ea ſcribere ex optimis autoribus, quæ huic inſtituto maximè ſeruire uidentur.

TEMPVS, ET EIVS PARTES.

T*Empus eſſe dicunt, ait M. Varro libro 5. de Lingua Latina, interuallum mũdi & motus. Id diuiſum in partes aliquot, maximè ab ſolis & lunæ curſu. Itaque ab eorum tenore temperato, tempus dictum: unde tempeſtiua, Græci χρόνον dicunt, quaſi κρόνον, quem & Saturnum dicunt.*

dicunt. Quod à κιρνᾶν, & κρᾶσει, hoc eſt, à miſcendo & temperatura deriuatum eſſe uideri poteſt. Ebræi dicunt eth: unde etiam deſcendit atthah nunc, aduerbium temporis.

Tempus autem definire, quid ſit, non modò M. Tullius & Ariſtoteles, Romanæ & Græcæ tum eloquentiæ & doctrinæ principes, fatentur, ſed etiam Auguſtinus, acutiſsimus theologorum. Ait tamen Auguſtinus libro 11. Confeſsionum, ſibi uideri tempus, menſuram, qua metimur corporum motum, ut ſolis, lunæ, ſiderum, & aliorũ. A' qua definitione Ariſtoteles nõ diſcrepat in 4. libro Naturalis auſcultationis. Definit enim, tempus eſse numerum atque menſurã motus, ſecundum prius & poſterius: idq; per ſe ac propriè, ſed & quietis talem menſuram, per accidens.

In tempore ſpectatur, & ex tempore ſumitur, aliquid aggrediendi atque conficiendi facultas. Quam Latini occaſionem uocant, Græci καιρὸν, Ebræi zeman. Vtrumque Dominus CHRISTVS comprehendit, quando ſciſcitantibus diſcipulis, Nunquid Domine in tempore hoc reſtituis regnum Iſraeli? reſpondet: Non eſt ueſtrum noſſe χρόνους tempora, & καιροὺς momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate: ut Actorũ 1. cap. legimus. Quæ non in eam ſen-

tentiam dicta ſunt, ut nullam prorſus rationẽ habeamus temporis, belluarũ ritu: ſed ne temere in arcana Dei *cõſilia irrumpamus: ſed in ſingulos dies & horas, & momenta, nos religioſe præparemus ad ultimũ uitæ noſtræ terminũ, ut* Græ*corum ſcholia eruditè exponunt, &* Beda, *cuius hæc ſunt uerba:* Oſtendit, *quod & ipſe ſciat, cuius omnia ſunt, quæ patris ſunt: ſed quòd non expediat noſſe mortalibus, ut ſemper incerti de aduentu iudicis, ſic uiuant, quaſi die alia iudicandi ſint.* Hæc *ille.* Itaq; *dictum hoc* Serua*toris non tollit uel ſaluberrimum præceptum omnium ſapientium, qui uno quaſi ore iubent tempus obſeruare, &* καιρὸν, *occaſionem, utq; fiat unumquodq; ſuo in tempore, optimum eſſe clamitant.*

Q*uam beati* Moſis *ſcripturam* Baſilius Ho*milia ſexta in* Hexaemero *enarrat doctiſsimè: ut alios theologos noſtros ſileam.* Agnoſcit *hanc ueritatem propoſitam in ſcripto* Moſis Ariſtoteles *tum alibi, tum in libro de* Mundo*: quam* Plato *ipſius præceptor eleganter exprimit in* Timæo. *cuius uerba huc ponenda eſſe iudico:* In *quibus uocem* ζῶον *non animal accipere fas eſt, ſed uiuentem, atq; adeò uiuentem in ſecula, ut noſtræ literæ loquuntur·* ἡ μὲν ζώου φύσις ἐτύγχανεν οὖσα αἰώνιος· καὶ τοῦτο μὲν δὴ

τῷ γεννητῷ παντελῶς προσάπτειν, οὐκ ἦν δυνα-
τόν. εἰκὼ δ' ἐπινοεῖν κινητήν τινα αἰῶνος ποιῆ-
σαι, καὶ διακοσμῶν ἅμα οὐρανὸν, ποιεῖ μένοντος
αἰῶνος ἐν ἑνὶ, κατ' ἀριθμὸν ἰοῦσαν αἰώνιον, τοῦτον
ὃν δὴ χρόνον ὠνομάκαμεν. ἡμέρας γὰρ καὶ νύ-
κτας, καὶ μῆνας, καὶ ἐνιαυτοὺς οὐκ ὄντας πρὶν οὐρα-
νὸν γενέσθαι, καὶ τότε ἅμα ἐκείνῳ ξυνισταμένῳ
τὴν γένεσιν αὐτῶν μηχανᾶται. ταῦτα δὲ πάντα
μέρος χρόνου καὶ τό, τ' ἦν, τό, τ' ἔσται χρόνου γεγο-
νότος εἴδη φέροντες λανθάνομεν, ἐπὶ τὴν ἀΐδιον
οὐσίαν οὐκ ὀρθῶς. λέγομεν γὰρ δὴ ὡς ἦν, ἔστι τέ, καὶ
ἔσται. τῇ δὲ, τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον
προσήκει. τὸ δὲ ἦν, τό, τ' ἔσται περὶ τὴν ἐν χρόνῳ
γένεσιν ἰοῦσαν πρέπει λέγεσθαι. κινήσεις γὰρ
ἐστόν. Et paulo pòſt· χρόνος δ' οὖν μετ' οὐρανοῦ
γέγονεν, ἵνα ἅμα γεννηθέντες, ἅμα καὶ λυθῶσιν,
ἄν ποτε λύσις τίς αὐτῶν γένηται, καὶ κατὰ τὸ
παράδειγμα τῆς αἰωνίου φύσεως, ἵν' ὡς ὁμοιότα-
τος αὐτῷ κατὰ δύναμιν ᾖ. τὸ μὲν γὰρ δὴ πα-
ράδειγμα πάντα αἰῶνα ἐστὶν ὄν, ὁ δ' αὖ διὰ τέ-
λους τὸν ἅπαντα χρόνον γεγονώς τε, καὶ ὢν, καὶ
ἐσόμενός ἐστι μόνος. ἐξ οὖν λόγου καὶ διανοίας
θεοῦ τοιαύτης πρὸς χρόνου γένεσιν, ἵνα γεννηθῇ χρό-
νος, ἥλιος, καὶ σελήνη, καὶ πέντε ἄλλα ἄστρα ἐπί-
κλην ἔχοντα πλάνητες, εἰς διορισμὸν καὶ φυλα-
κὴν ἀριθμῶν χρόνου γέγονε. σώματα δὲ αὐτῶν
ἑκάστων ποιήσας ὁ θεὸς, ἔθηκεν εἰς τὰς περιφο-

ρὰς, ἃς ἡ θατέρου περίοδος ᾔει, ἑπτὰ οὔσας ὄντα ἑπτά. Ac de orbibus planetarum lunæ, ſolis, luciferi ſeu Veneris, Mercurij, Martis, Iouis, Saturni, & obliquo orbe, quem zodiacum & ſigniferum appellant, locutus ſubijcit· ἵνα δὲ εἴη μέτρον ἐναργές τι πρὸς ἄλληλα βραδυτῆτι καὶ τάχει, καὶ τὰ περὶ τὰς ὀκτὼ φορὰς πορεύοιτο, φῶς ὁ θεὸς ἀνῆψεν ἐν τῇ πρὸς γῆν δευτέρᾳ τῶν περιόδων, ὃ δὴ νῦν κεκλήκαμεν ἥλιον, ἵνα ὅτι μάλιστα εἰς ἅπαντα φαίνοι τὸν οὐρανὸν, μετάσχοι τέ ἀριθμοῦ τὰ ζῶα, ὅσοις ἦν προσῆκον, μαθόντα παρὰ τῆς ταύτης καὶ ὁμοίου περιφορᾶς. νὺξ μὲν οὖν, ἡμέρα τὲ γέγονεν, οὕτω καὶ διὰ ταῦτα ἡ τῆς μιᾶς καὶ φρονιμωτάτης κυκλήσεως περίοδος. μεὶς δὲ, ἐπειδὰν σελήνη περιελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον, ἥλιον ἐπικαταλάβοι· ἐνιαυτὸς δὲ, ὁπόταν ἥλιος τὸν ἑαυτοῦ περιέλθοι κύκλον. τῶν δὲ ἄλλων τὰς περιόδους οὐκ ἐννενοηκότες ἄνθρωποι, πλὴν ὀλίγοι τῶν πολλῶν οὔτε ὀνομάζουσιν, οὔτε πρὸς ἄλληλα συμμετροῦνται σκοποῦντες ἀριθμοῖς. Et quæ ſequuntur. Quàm præclarus eſt Moſis & diſcipulus & interpres Plato, philoſophorum deus? Porrò Ariſtoteles: Sidera, inquit, & uniuerſum ipſum cœlum ſemper eos ad numeros mouentur, quos Deus ſurſum quaſi auſpicando præcinendoq; emodulatur, quẽ à ſimilitudine ſanè congrua κορυφαῖον

mundi

mundi rectè appellaueris, quaſi præſultorẽ ipſum, huiusq́; chori magiſtrum. Geminis autem itineribus ſol ingreditur, lumine ſuo cũcta quoquo uerſus colluſtrans: diem noctemq́; altero itinere diſterminans, ortu ſuo ſcilicet, & occaſu: altero quatuor anni tempora ſecum ductitans, ultro citroq́; per cœlum perreptando, nunc aquilonius ipſe, nunc auſtrinus. Quid dicam pluuias tempeſtiuè exiſtentes, uentos & rores, omnesq́; permotiones, quæ in aere eueniunt à principe rerum cauſa & primordiali? Adde fluminum lapſus, maris æſtus intumeſcentes, enaſcentium arborum incrementa, frugum maturitates, fœturas animalium: denique uegetationes rerũ omnium, adoleſcentium primùm, deinde tabeſcentium: eódem accedentibus cauſis, ut dictum eſt, à conſtitutionibus ſingulis rerum atque opificijs. Itaque ille princeps parensq́;, animi tantum ſenſu ſpectabilis, ſimulac ſignum dedit naturis inter cœlum terramq́; uehentibus, earum unaquæq́; in orbibus ſuis iugi motu cietur, atque intra ſuos limites alternis condita atque apparẽs, ſexcentas illa formas eodem à principio exhibens, uiciſsimq́; ſubducens. Quod uerò in hiſce rebus agitur, magnoperè ſimile eſt ijs, quæ belli tempore inter homines factitantur. Namq́; ſtatim ut claſsicum exaudiri in exercitu cœptum

eſt, alios ipſe uideas ſcuta ſibi aptantes, loricam alios induentes, alios ocreas uel galeam ſumere, uel baltheo ſe cingere feſtinantes. Rurſus uideas, qui frenatos equos admittant, alios qui currus conſcendant, qui deniq; teſſeram per explicatam aciem prodant. Tum manipuli ductor ad manipulum, centurio excurrit ad centuriam: poſtremò equites ad cornu, uelites ad ſtationem quiſque ſuam feſtinant. Cum interim ſub uno ductore omnia moueantur, qui imperia & ipſe ſignificanda accepit ab eo, penes quem ſumma eſt imperij. Eodem nos modo cenſere cõuenit de uniuerſo. Quum enim ab una ui impultrice cientur omnia, ſit utique, quod cuique cõmodum eſt & conueniens. Neque uerò, ſi ea uis ipſa hominibus haud cerni poteſt, aut apparere, id quoquo pacto obſtat aut illi, ad ea quæ diximus agenda, aut nobis ad fidem hiſce rebus accommodandam.* Et expoſita ſimilitudine animæ, quæ cum non cernatur, mirificos tamen effectus edit: Proinde, inquit, hæc etiam de Deo ſentienda nobis ſunt, illo quidem, ſi uim ſpectes, ualentiſſimo: ſi decorem, formoſiſſimo: ſi uitam, immortali: denique ſi uirtutem, præſtantiſſimo. Quapropter cũ ſit incõſpicabilis naturæ omni interituræ, ipſis nihilo ſecius ab operibus cernitur. Atque ea quidem quæ in aere fiũt, quoquo-

modo

modo affecto, quæ in terra, quæ in aqua, ea certè Dei opera eſſe meritò dixerimus: Dei inquam opera, cum imperio ſummo mundum, ac pro poteſtate obtinentis. An non præclarus interpres eſt Ariſtoteles uerborum Moſis de coſmopœia, & militiæ cœleſtis, Dominiq; exercituũ, & Pauli docentis Deum inuiſibilem per opera cognoſci & cerni? Libuit autem operis inſtituti fundamentũ ſolidum ponere uerba ſummi theologi Moſis, eaq; paraphraſi propemodũ explicata, p philoſophiæ Græcæ præcipuos magiſtros.

Temporis ergo partes eſſentiales, ut ita dicã, ſunt, inſtans ſeu præſens, præteritum, & futurũ, ſiue ut per aduerbia notantur, nunc, prius, poſterius. Quæ in omnibus alijs etiam partibus ſpectantur: ut ſunt, dies, nox, menſis, annus: & illorum partes, uelut diei & noctis horæ, & horarum momenta, annique partes quatuor, et aliæ, de quibus eſt deinceps dicendum, initio ſumpto à uerbis diui Auguſtini, quæ ponit libro 15. cap. 13. loquens de Noæ temporibus contra illos, qui ex ætate patrũ longiſsima ante diluuium 10. annos pro cõmuni iam anno poſuerunt. Quis hãc abſurditatẽ & uanitatem ferat? inquit. Proinde remoueatur hic error, qui coniectura falſa ita uult adſtruere ſcripturarum noſtrarum fidem, ut alibi deſtruat. Proſus tantus etiam tunc fuit

dies,

dies,quantus nunc eſt:quem uiginti & quatuor horæ diurno curriculo nocturnoq́; determinant. Tantus *menſis,quantus & nunc eſt:quem luna cœpta & finita concludit.* Tantus *annus, quantus & nunc eſt: quem 12. menſes lunares, additis propter curſum ſolarem quinque diebus & quadrante,conſummant.*

PARTES TEMPORIS.

T*Empora momentis, horis,diebus,menſibus, annis,ſeculis, & ætatibus diuiduntur, ait* Beda *cap.1.de* Ratione *temporum.* Ioannes *autem de* Sacro *buſto,in* Computo *eccleſiaſtico, qui libellus rationem anni expedit:* Partes, *inquit, temporis die maiores ſunt ſeptimana, menſis,annus,luſtrũ,indictio,ſeculum, æuũ.* Partes *temporis die minores ſunt, quadrans,hora,punctus,momentum,uncia,& atomus.* Definit *autem computum, ſcientiam conſiderantem tempora ex ſolis & lunæ motibus, & eorũ adinuicem coæquatione diſtincta.* Quæ *cum ſit aſtronomiæ ſubiecta, eccleſia inde mutuo accepit.* Computus, *autore* Beda, *partim natura nititur,partim autoritate uel conſuetudine nititur.* Natura, *ut annum communem habere 12. menſes lunares: conſuetudine, ut menſes 30. diebus computari: autoritate,ut hebdomadam ſeptem ferijs conſtare.*

Hora

Hora conſtat, eodem Beda autore, pūctis 4. minutis 10. momentis 40. Momentum eſt minimum atque anguſtiſsimum tempus, à motu ſiderum dictum. Eſt enim extremitas horæ in breuibus interuallis, cum aliquid ſibi cedit atque ſuccedit. Ioannes de Sacro buſto ex conſuetudine temporum posteriorū, paulo ſubtilius hæc partitur. Ipſeq́; Beda cap. 3. de Rerum natura dicit, in quibuſdam lunæ computis horam 5. punctos habere, partes 15. Punctus enim in ſolari computatione eſt quarta pars horæ unius, in lunari quinta pars. Momentum decima pars puncti, prout prius ſumebatur punctus. Nempe in ſolis motu, quadrageſima pars horæ: in lunæ motu, quinquageſima. Vncia eſt pars duodecima momenti. Atomus, 48. pars unciæ. Quadrans autem, quarta pars diei naturalis, hoc eſt, ſex horarum integra comprehenſio.

In ſacris literis minutiores partes temporis hæ quidē nominantur, Apocal. 8. cap. ἡμιώριον, ſemihora, aut dimidium horæ. Mediam horam dicit uetus lat. interpres. 1. Cor. 15. de ſubita mutatione corporum ad CHRISTI glorioſum aduentū in die nouiſsimo, ἐν ἀτόμῳ, in momento, uel ut Eraſ. reddit, puncto, & quidem indiuiduo & inſectili, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, in ictu, uel (ut Laur. Valla emendat) in nictu oculi. Hieronymus ad

mus ad Minerium ſcribens, legit etiam ἐν ῥοπῇ. momento, quod à motu & inclinatione lancis acceptũ eſt: ῥιπῇ, à teli aut fulminis ictu. Scholia Græca ἄτομος interpretantur στιγμὴ punctum: ῥιπὴ autẽ, φορὰ, κίνησις, καὶ ὁρμὴ, oculi motus. ut minimum temporis ſignificetur, quo morientur & reuiuiſcent homines, ſine ulla dormitione. Beda in Commentarijs: Atomus in tempore, *momentum eſt breue, quod iam non habet, ubi diuidatur.* Et mox cum dixiſſet *in atomo, ſubiecit:* Quantum poteſt *fieri actionis & motus in iſto atomi tempore.* In *ictu, inquit, oculi.* Quantus *eſt ictus oculi, non quo palpebram mouentes claudimus, oculum'ue aperimus: ſed ictum dicit oculi, emiſsionem radiorum ad aliquid uidendum.* Mox *enim ut aperueris oculum, emittitur radius tuus, non dico ad parietem proximum, ſed ad montem longè diſtantem.* In *ſidera mox ut radium emiſeris, ibi eſt.* Idem de Rerum *natura cap. 3. teſtatur, ſcriptores indifferenter breuiſsimũ illud ſpacium quod diuidi nequit, nunc momentum, nunc punctum, nunc atomũ dicere.*

Sanè ſciendum eſt, horã, diem, noctem, menſem, annum, & ſi qua eſt alia temporis pars nomine certo definita, ſecari minutiores in portiones: ut corpora ſecantur, & quæcunque aliquo pacto in ſe quantatem continent, in dimidium,

ſecun-

ſecundum, tertium, quartum, aut genere fœminino, in ſecundas, tertias, quartas, decimas, centeſimas, trecẽteſimas, & alias: quæ minutiæ uulgares ſolent dici. Nec enim tantum in artib. mathematicis adhibentur, aut phyſicis, ſed etiam in uſu uulgari. Latini elegantes ſcriptores, aſſe & eius partibus, ſemiſſe, uncia, ſextante, quadrante, beſſe, & alijs, proportionalia hæc efferunt: ſed & numeralibus, quæ tam longè patẽt, quàm ipſi numeri. Plinius lib. 2. cap. 14. de motu lunæ. Lunam ſemper auerſis à ſole cornibus, ſi creſcat, ortus ſpectare: ſi minuatur, occaſus, haud dubium eſt. Lucere dodrantes ſemuncias horarum, ab ſecunda adijcientem uſque ad plenũ orbem, detrahentemq; in diminutionẽ. Quod uulgo efferre ſolent, nouẽ duodecimas uel tres quartas & unam uiceſimamquartam horæ. Idem Plinius ſequenti capite, de ſtella Martis: Eadẽ ſtationalis ſenis menſibus commoratur in ſignis: alioqui bimeſtris, cum cæteræ utraque ſtatione quaternos menſes non impleant. Ptolemæus lib. 3. Almageſti, cap. 2. de anni quantitate: Dies 60. & quarta, & 20. proximè unius diei particula. Ebræi annũ lunarem communem habere dicunt 354 dies, horas 8. חלקים halakim, portiones uel minutias 876. quarũ 1080. horam efficiunt. Sunt præterea minutiæ phyſicæ aſtronomis in

tempo-

temporũ rationibus admodum familiares nunc: ut quum zodiaci gradus, aut hora diei, ſecatur in ſexaginta minuta, minutum in ſexaginta ſecunda uel ſecundas, ſecundum in tertia, tertium in quarta, & deinceps ſimiliter progreßione ſexagenarij. Quin Alphõſus ob commoditatem ſexagenarij numeri diem ſtatim ſecat in 60. partes, & non horas 24.

DIES ET NOX.

GRæcis ἡμέρα dicitur, quẽ Cretenſes Δία uocant, eodem uerbo quo & Iouem appellant: unde Latini diem ſunt mutuati. Quod Varro confirmat, à Deo cui mundus cõiunctus eſt, diem nominari. νὺξ, & Latinè nox, paululum declinata uoce, potiuſquam à nocendo dicitur. Ebræi appellãt יוֹם iom, noctem לַיִל lail, aut לַיְלָה laielah. Ac diei quidem uox in ſcripturis ſanctis præter ſignificationes tropicas, ut cũ dicitur, Nox præterijt, dies appropinquauit, iudicari ab humano die, cũq; pro ſecũdis rebus ponitur, frequentißimè tria notat. Primùm quidem in uniuerſum quoduis tẽpus. Eſtq; celebrius dies dici, quàm tempora. Veluti cũ aliquid legimus factũ in diebus Noæ, Lot, Eliæ, Herodis: In illis diebus. Vtq; dicuntur nouißimi dies, dies meßis, dies uitæ, pro ætate hominis: Verba dierũ, hoc eſt, annales, diaria, & omnino chronica:

nica: dies malus, aut dies anguſtiæ, id eſt tempus difficile, ac plenũ ærumnis. Sed et hora ſynecdochicôs pro tempore ſæpiſsimè dicitur. Secundò notat tempus, quod fluit, dum ſol ad motum primi mobilis ab ortu in occaſum tendendo uices diei & noctis mundo inuehit. Quomodo Moſes de opere ſex dierum primorum mundi loquens, dicit: Factũ eſt ueſpere & mane dies ſecundus, aut tertius, aut quartus. Tertiò notat tempus, quo ſol hemiſphæriũ noſtrum illuſtrat. Cui oppoſita eſt nox, dũ ſol fertur ſub horizonte noſtro, & tenebræ obtinent terras. Qua ſignificatione Moſes uſurpat, loquens de primo die: Vidit Deus lucem, quòd eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris: appellauitq́; lucem diem, & tenebras noctem. Et Eſaias, Væ dicit illis, qui uertunt diem in noctem. Quæ multiplex ſignificatio diei, ſpectatur in omnibus fermè linguis.

Proin Cenſorinus cap. 19. de Die natali ſic ſcribit: Dies, ut menſis aut annus, partim naturalis, partim ciuilis eſt. Naturalis dies eſt, tempus ab exoriente ſole ad occaſum ſolis. Cuius contrarium tempus eſt nox, ab occaſu ſolis ad ortum. Ciuilis autem dies uocatur tempus, quod fit uno cœli circumactu, quo dies uerus, & nox continetur: ut quum dicimus aliquem dies triginta tantum uixiſſe. Relinquitur enim, etiam

noctes intelligere. Definitio itaque diei naturalis, quam ponit Ioannes de Monte regio in epitome Ptolemaici Almageſti, quadrat diei artificiali ſeu ciuili. Dies naturalis dicitur tēpus reuolutionis ſolis per motum primi mobilis ab horizonte aut meridiano, donec ad ipſum redeat. Ad eundem propè modū Ioannes de Sacro buſto, Stofflerus, & alij diem naturalem definiūt, hallucinantes cum Beda, qui dicit diem uulgarem eſſe præſentiam ſolis ſuper terram, qui propriè 24. horis impletur. Verùm dies artificialis idem eſt cum ciuili, qui obſeruatur in ciuilibus negocijs: ut cum dies dicitur, dies præſtituitur, ad præfixum diem ſe quis ſiſtit, aut ſoluit. Verus autem, & naturalis dies, uulgaris rectius appellatur: quoniam omne uulgus metitur diem ab ortu ad occaſum, uel Plinio teſte.

Porrò dies ciuilis ab aſtrologis & ciuitatibus quatuor modis definitur. De quo Plinius libro 2. cap. 87. Ipſum diem alij aliter obſeruauere. Babylonij inter duos ſolis exortus, Athenienſes inter duos occaſus, Vmbri à meridie in meridiem, uulgus omne à luce ad tenebras. Sacerdotes Romani, & qui diē diffiniuere ciuilem, item Aegyptij, & Hipparchus, à media nocte in mediam. Quod copioſe quoque docent Aulus Gellius lib. 3. cap. 2. Noctium Attic. & Macrobius

Saturn.

Saturn.1. lib.cap.3. Athenienſes morem ſuũ nimirum ab Ebræis mutuati ſunt: qui ex antiquiſſima inſtitutione diem ciuilem à nocte ſunt orſi. Priores enim extiterunt tenebræ, et Deus iuſsit lucẽ de tenebris ſplendeſcere, ut ait apoſtolus Paulus. Moſes etiam ordine illo diuinam creationem exprimit, ut dicat: Factum eſt ueſpere & mane dies unus. Quod Iudæi obſeruant religioſe, ut diem auſpicentur ab occaſu ſolis hora ſexta pomeridiana, in feſto die, in nouilunijs, & alijs obſeruationibus. Et agnus quidẽ paſchalis mactandus fuit ex diuino præcepto 14. die primi menſis ad ueſperam: uel ut in Ebraicis libris ſcriptum eſt, inter duas ueſperas. Quod Ioſephus interpretatur, ab hora nona uſq; ad undecimam. Exacta uidelicet hora undecima diei naturalis, ſuccedit initium ſabbathi ſtatim. Vmbriæ morem, quæ à meridie in meridiem extendit ciuilem diem, ſequuntur fermè aſtrologi, propterea quòd in meridie motus ſolis, per radios uaſis horoſcopis acceptos commodiſsimè deprehenditur. Horologia tamen Italorum & Bohemorum, ad Ebræorum & Athenienſium rationem aptata ſunt, ut initio noctis horam primam indicent, ſequenti ueſpera uiceſimamquartam. Vmbriæ & aſtrologorum conſuetudinem partim ſeruant Galli & plerique Germani, par

tim Romanorum:*dum horologia meridie pariter & medio noctis horam duodecimam nunciant, & mox eum numerum auſpicantur. Cæterùm dies naturalis inæqualis eſt in omnibus terræ partibus, quæ extra circulum æquinoctialem ſitæ ſunt. Quum enim ſub æquatore degentes, perpetuò habeant diem atque noctem æquales, 12.horarum: alij uel in ſeptentrionem uel auſtrum declinantes, quo lõgius remoti ſunt ab æquinoctiali ad polum alterum, eo maiorem habent dierum inæqualitatem ſole accedente aut recedente, puta uel 13. horarum diem, noctem 11. uel 16.horarum diem, noctem 8.horarum, & contrà: donec ſub polo conſiſtentibus, dies menſium ſex, itemq́; nox menſium ſex conficiatur. Quod accidit propter obliquitatem ſphæræ, & inæqualem motum ſolis. ut* Ptolem. *lib. 3.* Almageſti *docet, &* Plinius *2.lib.cap.19.* Sol *ipſe quatuor habet differentias, bis æquata nocte diei.* Vere *& autumno, & in terræ centrum incidens octauis in partibus arietis & libræ: bis permutatis ſpacijs in auctum diei, bruma, octaua in parte capricorni: noctis uerò, ſolſtitio totidem in partibus cancri.* Inæqualita*tis cauſa obliquitas eſt ſigniferi, cum pars æqua mundi ſuper ſubterq́; terras omnibus fiat momentis.* Et *hæc quidem in coſmographicis &*

aſtro-

aſtronomicis inſtrumentis perſpicere licet.

Non ſine cauſa quæri ſolet inter theologos & aſtronomos, quales iſti primi tres dies mundi fuerint, nondum ſole ac luna cæteriſq; ſideribus in cœlo collocatis. Auguſtinus lib. 11. cap. 7. de Ciuitate Dei: Qualis, inquit, illa ſit lux, & quo alternãte motu, qualemq; ueſperam & mane fecerit, remotum eſt à ſenſibus noſtris, nec ita ut eſt, intelligi à nobis poteſt: quod tamen ſine ulla hæſitatione credendum eſt. Hæc & alia plura ſuper ea quæſtione diſſerit Auguſtinus in multis locis. Dionyſius quarto cap. de nominibus diuinis, ſentit eãdem ipſam ſolis lucẽ, ſed adhuc informẽ, diſtinxiſſe dies tres primos. Damaſcenus lib. 2. cap. 7. de Orthodoxa fide: In tribus, inquit, diebus, refuſo & contracto lumine, diuino præcepto dies & nox fiebat. Quarta uerò die fecit Deus luminare maius, ſolem uidelicet in principatũ & poteſtatem diei: Per ipſum enim dies conſtituitur. Nam dies eo ipſo eſt, quod ſol eſt ſuper terram. Et reliqua. Is nimirum à Baſilio magno ſententiam hanc hauſit: qui Homil. 2. in Hexaemero, quæſtionem ſcitè ſoluere uidetur. cuius ſunt hæc uerba: νῦν μὲν λοιπὸν μετὰ τὴν ἡλίου γένεσιν ἡμέρα ἐστίν, ὁ ὑπὸ ἡλίου πεφωτισμένος ἀὴρ ἐν τῷ ὑπὲρ γῆν ἡμισφαιρίῳ λάμποντος, καὶ νὺξ σκίασμα γῆς, ἀποκρυπτομένου

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ἡλίου γινόμενον. τότε δὲ οὐ κατὰ κίνησιν ἡλιακὴν, ἀλλ' ἀναχεομένου τοῦ πρωτογόνου φωτὸς ἐκείνου, καὶ πάλιν συστελλομένου κατὰ τὸ ὁρισθὲν μέτρον παρὰ θεοῦ, ἡμέρα ἐγένετο, καὶ νὺξ ἀντεπῄει. Miraculum quoque habet Ioſ. 10. quòd Ioſue pugnante contra Cananæos, ſtetit ſol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpacio unius diei. Et quod Eſaiæ cap. 38. legimus, ſolem in horologio Achaz diuina potentia reuocatum, ut reuerteretur 10. lineis per gradus, quib. deſcenderat. Quæ Auguſtinus inter mirabilia ſcripturæ ſanctæ referens, per gradus horas intelligit, quæ duodenæ perficiunt diem: & utroque tempore exiſtimat ſpacium duorum dierum in uno die fuiſſe concluſum.

PARTES DIEI, HORAE, cuſtodiæ, & aliæ.

DIei partitio antiquiſſima ſimplex admodum fuit, non in horas, ſed per effectus aliquos ſiderum, aut alterius naturæ inſignita. Qualis eſt meridies, ante meridiem, ortus, occiduum tempus, ueſpera, aurora. Itidem & noctis partitio fuit ad eum modum conſtituta, habens intempeſtam noctem, mediam noctem, gallicinium, & ſimilia. In ſacris literis, quæ ante Babylonicum exilium ſunt ſcriptæ, nulla fit mentio horarum: neq; nomen Ebraicum extat in lingua Ebræa,

Ebræa, quod horam notat, ſed in Syriaca lingua שעה, ut Daniel. 3. Tametſi Auguſtinus & alij quidam decem lineas graduum in horologio Achaz, decem horas innuere exiſtimant. Apud Romanos etiam nullum fuit horologium per trecentos annos ab urbe condita, neq; mentio ulla horarum fit ante ſcriptas leges Duodecim tabularum: ut etiam Cenſorinus annotauit. In ſacris ſcriptoribus hæc fermè nomina temporis occurrunt: manè, aurora, illuceſcente iam ſole, meridies, incaleſcente ſole, inclinata dies, ueſpera, aura diei, occaſus ſolis, nox, media nox, galli cantus, dormientibus hominibus pro concubio. Romanis hæ partes diei ciuilis & nomina placuerunt, quas ex Varrone, Cenſorino, & Macrobio collegi. Primum tempus diei, dicitur mediæ noctis inclinatio. Gallicinium, cum galli canere incipiunt: quod nimirum tempus Dominus notat Petro dicens: Priuſquam gallus canat, ter me negaueris. Conticinium, cum galli conticeſcunt, & homines etiamnum quieſcunt. Diluculum, cum incipit dies dignoſci: quod & ante lucem, & iubar dicitur. Manè, dum dies clarus eſt, & lux ſolis cernitur. Ad meridiem, & à mane ad meridiem. Meridies. Inde Macrobius dicit uocari tempus occiduum: Cenſorinus uocat, de meridie. Suprema tempeſtas, uel ſum-

mum aut ſupremum diei. Quod tamen tempus leges XII. *tabularum uoluerunt eſſe occaſum ſolis.* Veſper *& ueſpera, ante ortum ſtellæ ueſperuginis.* Crepuſculum, *quod tempus diei an noctis ſit, ignoratur.* Prima *fax, uel accenſis luminibus.* Concubium, *aut nox concubia, cum itum eſt cubitũ: quod tempus ſignificat* CHRISTVS *in parabola dicens, malum hominem zizania ſparſiſſe hominibus dormientibus.* In*tempeſta nox.* Ad *mediam noctem.* Media *nox.* Quanquam Varro *noctem dicit tempus, quando ſtella prima, nempe heſperus, exorta eſt: noctemq; intempeſtam, hoc eſt, multam, & conticinium, & ſilentium noctis, uocat totũ tempus inter ueſperuginem & iubar.*

Alia *diuiſio eſt non modò noctis, ſed etiam diei, per uigilias aut cuſtodias.* De *hac loquitur* Cenſorinus, *capite decimonono:* Alij *diem quadripertito, ſed & noctem ſimiliter diuidebant.* Id *ſimilitudo teſtatur militaris: ubi dicitur,* Vi*gilia prima: item ſecunda, & tertia, & quarta.* Vegetius *de uigilijs ita ſcribit:* De *ſingulis centurijs quater in equites & quaterni pedites, qui noctibus excubitum faciant, eliguntur.* Et *quia impoßibile uidebatur, per totam noctem uigilantes ſingulos in ſpeculis permanere, ideo in quatuor partes ad clepſydram ſunt diuiſæ uigi-*

liæ.

ſiæ, ut nõ amplius quàm tribus horis nocturnis neceſſe ſit uigilare. A' tibicine omnes uigiliæ cõmittuntur, & finitis horis à cornicine uocantur. Idoneos tamen & probatiſſimos tribuni eligunt, qui uigilias circumeant, & renuncient, ſi qua emerſerit culpa. quos circuitores appellabant. At nunc militiæ factus eſt gradus, & circitores uocãtur. Hæc Vegetius de re militari. Ex eo more natum uideri poteſt, quòd horas ſingulas nunc tuba & buccina, & humana uoce renunciant. Hieronymus in commentarijs ad pſalmum 89. etiam indicat, diuidi noctem ſolere per quatuor uigilias: quarum ſingulæ horas ternas complectuntur. Crebra eſt uigiliarum mentio in ſacris literis, & propriè & per tropum loquentibus. Vt Iudicum 7. Gedeon memoratur ingreſſus fuiſſe caſtra Madian incipientibus uigilijs nocturnis. Et 1. Regum 11. Saul ingreſſus eſt media caſtra Moabitarũ et Amon, in uigilia matutina. Pſalmo 129. A' cuſtodia matutina uſq; ad noctem ſperet Iſrael in Domino. Matth. 14. Marc. 6. CHRISTVS legitur ueniſſe ad diſcipulos quarta uigilia noctis. Lucæ 12. refertur eſſe incertum, an Dominus rediturus ſit uigilia ſecunda, an tertia.

Eſt & tertia diuiſio diei & noctis in horas: de qua dicere nonnihil oportet. Siquidem

ſacra ſcriptura ſæpiſsimè horas indicat, multæq; hinc quæſtiones theologicæ pendent: ut qua hora Dominus expirauerit, reſurrexerit, natus ſit: quæ ſit hora prima diei, menſis, anni, mundi. Vt taceam, quàm ſcrupuloſe obſeruetur hæc temporis indicatura, in ciuilibus negotijs: ut taceam genethliacorum exactiſsimas calculationes: ubi niſi ratio certa horarum conſtet, quæ ſunt non parum diuerſæ, alicubi grauiter neceſſe eſt errare. Ac horæ quidem partim ſunt æquales, partim inæquales. Hora æqualis ſeu æquinoctialis, eſt uigeſima quarta pars diei ciuilis: quanto interuallo quindecim gradus æquinoctialis circuli oriuntur, ac ſuperant circulum cœli finitorem, qui hemiſphæriũ nobis conſpicuum, & id quod oculorum conſpectum fugit, ſeparat: quem horizontem uocant. Ex ijs horis prima eſt uel occidente ſole, uel oriente, uel meridie, uel nocte media, proinde ut quiſque populus initiũ diei ciuilis conſtituit. Hora inæqualis, aut naturalis, aut καιρικὴ, id eſt, tẽporalis, & planetaria (nam ijs omnibus nominibus inſignitur) eſt duodecima pars diei aut noctis naturalis. Cuiuſmodi horas intelligere oportet in ſacris ſcripturis. ut in Euangelio Ioannis cap. 11. Nonne horæ duodecim diei ſunt? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem hu-

ius mundi uidet. Ac Matth.20.*paterſamilias operarios conducens in uineam ſuam, exijt, manè, & hora tertia, ſexta, nona, undecima.* Petrus quoq; *hora tertia concionatur* Act.2. Hora ſexta Dominus IESVS *mortis ſententiam accepit, atq; crucem adijt, ac tenebræ inuectæ ſunt orbi.* Ioan.19.Marc.15.Luc.23.*Nona hora* Dominus *emiſit ſpiritũ, uoce magna edita.* Matthæi 27. *Ad horam quoq; precationis nonam* Petrus & Ioannes *aſcendunt in templum.* Actorum 3. *Bene igitur monet* Ioannes Lucidus, *horarum temporariarum, quæq; planetarum horæ dicuntur, notitiam non eſſe negligendã: utpote quarum uſus ſit in ſacris literis.* Inæquales *cur dicantur horæ, nõ obſcura eſt ratio.* Quum *enim ijs qui ſub æquinoctiali circulo degunt, eumq; habẽt horizontis loco, perpetuò ſit nox diei æquata, cæteris idem euenit duntaxat bis in anno, quũ ſol attingens arietem aut libram, æquinoctia facit.* Reliquo *tempore ſubinde creſcunt inuicem & decreſcunt dies atq; noctes: ut tandem fiat dies aut nox horarum æqualium ſedecim, & plurium etiam.* Quare *duodecim horæ temporariæ uariantur quotidie, proinde ut menſura diei & noctis euariat.* Nam *quum dies eſt horarum æqualium ſedecim, hora inæqualis continet horam, & præterea tertiã eius*

par-

partem. Rurſum *quando eſt breuiſsimus dies, ut in noſtro climate & parallello horarum æqualium octo in ſolſtitio brumæ, hora inæqualis habebit dimidium horæ, & ſextam æqualis horæ partem.* Planetariæ *uerò dicūtur horæ, quia* Chaldæi *præcipui horarum temporalium obſeruatores, ut* Mercurius Triſmegiſtus *docet, planetarum ſeptem gubernationi deinceps addixerunt, aliam ſolis, aliam* Martis, *aliam* Iouis, *aliam* Saturni, *aliam lunæ: quam* Chaldæorum *ſuperſtitionem* Chriſtiana *theologia uituperat.* Ad *hiſtoriæ autem ſacræ & profanæ lectionem pertinet, diuerſarum gentium horas inter ſe componere.* Nam *quæ* Palæſtinis *circa uernum æquinoctium* Domino CHRISTO *perferente crucem ob mundi ſalutem, hora fuit tertia,* Norinbergenſibus *& alijs quibuſdā* Germanis, *qui horas diurnas ab ortu ſolis auſpicantur, nocturnas ab occaſu ſolis, itidem fuit hora tertia.* Gallis *autem &* Germanis, *qui à media nocte aut die numerum ineunt horarum, fuit ſexta hora, & quæ ſexta* Palæſtinis, *nona: & quæ nona* Palæſtinis, *iuxta horologia noſtra fuit duodecima:* Porrò *nona* Palæſtinis, *nobis eſt tertia pomeridiana.* Differentia *quidem longiſsimi diei aut breuiſsimi per diuerſas regiones, ſpectatur in diſtantia locorum ab æquatore,*

tore, & eleuatione poli. Nam diſtantia 15. graduum Zodiaci, qui ſinguli terræ ſubiectæ admetiuntur miliaria Italica *60. differentiam facit unius horæ.* Adhæc regiones, *quæ longitudine diſtant, quæ in occaſum & ortum tenditur, & meridianis circulis diſtinguitur, citius aut tardius habent orientem aut occidentem ſolem, aut alia, quæ in cœlo eueniũt, ut eclipſes.* Vt *quũ* Arbela *in* Aſſyrijs, *et* Carthago *in* Numidia *gradibus 45. hoc eſt, ter quindecim gradib. diſtẽt,* Carthago *trib. horis tardius uidet orientem ſolem, q̃* Arbela. Et *eclipſin, quam* Arbelitæ *uiderunt hora quinta,* Alexãdrini *uidere hora ſecũda.* Id *quũ tabulæ coſmographicæ ob oculos ponant, cũ urbe* Hieroſolymorũ, *quam cõueniebat umbilicum terræ, & cardinem longitudinis atque latitudinis terræ conſtituere, duo loca celeberrima conferam, alterũ orientaliorẽ & ſeptentrionalem, alterum occidentaliorem & auſtralem.*

	Babylon.	Capitolia, uel Hieroſolyma.	Alexandria.
Longitudo	79	66	60.$\frac{1}{2}$
Latitudo	35	31.$\frac{2}{3}$	31
Longiſsimus dies horarum æqualium.	14.$\frac{1}{3}$	14.$\frac{1}{7}$	14

SEPTIMANA DIERVM.

HEbdomada Græcè à ſeptenario numerò nomē accepit, inquit Beda cap. 8. de Rerum natura, humana quidem cōſuetudine ſeptenis ſolum acta diebus, ſed ſcripturæ ſacræ autoritate multis ſpecieb. in ſignis: quæ tamen cūctæ, ni fallor, ad unū finem ſpectāt, nos ſcilicet admonentes, poſt operum bonorū perfectionem in ſpiritus ſancti gratia perpetuam ſperare quietem. Prima ergo & ſingularis illa hebdomada, & à qua cæteræ formā capeſſūt, diuina eſt operatione ſublimis. Quia Dominus in ea 6. dieb. mundi ornatum cōplens, ſeptima requieuit ab operib. ſuis. Idē cap. 2. Etſi barbaræ gentes hebdomadas habere probentur, à populo tamē Dei mutuaſſe non latet. Hebdomada ita computabatur antiquitus à populo Dei: prima ſabbathi, uel una ſabbathi, ſiue ſabbathorū: ſecunda ſabbathi, & cæt. ſeptima ſabbathi, uel ſabbathum. Nō quòd omnes ſabbathorū, hoc eſt, requietionum dies eſſe potuerint: ſed quòd à requietionū die, quæ ſuo nomine et cultu ſingularis excellebat, prima, uel ſecunda, uel tertia, uel cæteræ ſuo quæq; cenſerentur ex ordine. Verùm gentiles, cum obſeruationem à populo Iſrael hebdomadis addiſcerēt, mox hāc in laudem ſuorum deflexere deorum: primam uidelicet diem ſoli, ſecundam lunæ, ter-

tiam

tiam Marti, quartam Mercurio, quintam Ioui, ſextam Veneri, ſeptimam Saturno cõſecrantes: eiſdem utiq; monſtris ſuos dies, quibus & erran tia ſidera conſecrantes. Ferias uerò habere dierum primus Papa Syluester edocuit: quum prius Ebræorum ritu dicerent, Prima ſabbathi, ſecunda ſabbathi: quomodo Epiphanius dies numerat. Et primum quidem diem, qua & lux in principio facta eſt, & CHRISTI eſt reſurrectio celebrata, Dominicam nuncupauit. Quod illi nomen iam primis eccleſiæ temporibus fuiſſe inditum, teſtatur Ioannes, qui dicit in Apocalypſi: Fui in ſpiritu in die Dominico. Deinde ſecundam feriam, tertiam feriam, quartã, quintã & ſextã de ſuo adnectens, ſabbathum ex ueteri ſcriptura retinuit: nihil ueritus grammaticorum † ferulas: qui ſicut Calendas, Nonas, Idus, ita etiã ferias plurali tantũ numero proferẽdas eſſe decernunt. Hactenus Beda. Cæterùm ſabbathũ שבתון ſchabbathõ, uel שבת ſchabbath, feriatũ diem ſignificare Ebræis, quod ceſſationem, ocium, quietem, atq; uacationẽ ab opere ſonat, nouere uel mediocriter periti linguæ Ebraicæ. Peculiariter quidem ſeptimũ diem notare, ſed & alias ferias, quæ מועדים moadim & חגים hhagim dicũtur, ſcriptura ſancta nos docet: ut quũ reſpuũt ſabbatha hypocritarũ, et re-

† regulas

quirunt

quirũt ſabbatha Domini: teſtatur idem Epiphá nius diſputãs cõtra Ebionitas. cuius uerba referam paulo pòſt. A' ſabbatho autẽ reliquos dies fuiſſe denominatos, adeoq; ipſam hebdomadã ſabbathũ dictam, legentẽ ſacras literas non fugit. Vt Lucæ 18. Phariſæus gloriatur: Ieiuno bis in ſabbatho. Marc. 16. Valde manè una ſabbathorum ueniunt mulieres ad ſepulchrum Domini. προσάββατον, paraſceue dicitur Marc. 15. ſabbathum præcedens, ut latini loquuntur per pridie. δευτερόπρωτον σάββατον, quæ nam dies ſit, Luc. 6. theologi adhuc litigant. Andreas Oſiander in Harmonia, uetus (inquit) eſt quæſtio, quid ſit ſabbathum ſecũdoprimũ apud Lucã. Cui tamen finiendæ nihildum à quoquam eſt allatum, quod ſaltem ſpeciem præſe ferat. Ipſe autumat ſeptimum diem feriatum paſchatis, aut ſcenopegiorum ſignificare. Hieronymus petijt à Gregorio Nazianzeno, qui ob eximiã doctrinã Theologus eſt cognominatus, ſibi explicari: ſed fruſtra. Eraſmus Roterodamus, & ipſe theologus præſtantiſſimus, fatetur quoque ſe nihildum comperiſſe apud autores, quod ſatisfaciat. Sabbathum fuiße, hoc eſt, diem feſtum, liquet ex 12. cap. Matth. Neque inſcitè explicare id uidetur Epiphanius, ſcribens contra Ebionitas. Varia ſabbatha, inquit, decreuit lex: aliud quidem

quidem, quod ſecundum ſeptenarium dierum numerum reuoluitur, natura ſabbathum: aliud uerò propter ſubiacentes nouilunio, ſecundum lunam, & conſequentes feſtiuitates. Qualis fuit dies ſcenopegiorum, & dies paſchatis: quando agnum mactant, & azyma comedunt. Adhæc ieiunium unum ieiunant in anno, quod uocatur magnum: & aliud, quod paruum. Quum ergo incidunt hi dies in ſecundam ſabbathorum, aut tertiam, aut quartam, ſabbathum etiam illis decernitur. Quare poſt exactam azymorum dierum, & definitam ſabbathi diem, in ſabbatho naturali ac proprio, quod poſt azymorũ diem ac definitum ſabbathum pro ſabbatho computatur, inuenti ſunt tranſeuntes per ſata & uellentes ſpicas, quas terebant ac edebant: oſtendentes, quod ſolutum eſſet uinculum in ſabbatho decretum, quum ueniſſet magnum ſabbathum, nempe CHRISTVS, *qui uacare nos fecit à peccatis noſtris. Non longè abludit Theophylactus. Si enim in paraſceuen incidiſſet ſabbathum, & paraſceuen uocari ſabbathum exiſtimat, & uerum ſabbathũ* δευτέρωτον. *Quàm diligenter indagarunt illi ueteres, unius diei ſignificationem? Nimirum excitãtes nos ad perueſtigationem temporum, ſine quorum notitia, nemo dextrè tractabit Theologiam. Cæterum*

πεντηκοστὴ, Pentecoſte, *quinquageſima dies à celebratione* Paſchalis *feſti denominatur.* Fre*quenter etiam dies nomen accipiunt ab ordine, quem habent in menſe: ut prima dies menſis 25. & ſimiliter dicantur.* Porrò *quantam religionem atque diligentiã in diebus notandis ueteres* Chriſtiani *adhibuerint, oſtendit* Philaſtrius, *reprehendens hæreſim de ſeptem planetis.*Habenda *eſt & hæreſis, inquit, quæ dicit nomina dierum ſolis, lunæ,* Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, Saturni, *à* Deo *hæc ita poſita ab origine mundi, non hominum uana præſumptione nuncupata: cum à prima origine uſque ad* Græcos *reges, &* Hermem *fallaciſsimum illum, qui hæc nomina uaniſsima & friuola mentiendo auſus eſt nuncupare, ſi quærere uolueris, inuenies multum fluxiſſe temporis.* Et *ſic paganos, id eſt,* Græcos *hæc nomina poſuiſſe, cum hæc nomina etiam ſecundum ſeptem ſtellas dixerint hominum generationẽ conſiſtere: ut ille ipſe delirãs hoc definit.* Dierũ *enim numerus primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus, à* Deo *eſt appellatus, non in hac uanitate nuncupationis turpiſsimæ initio enunciatus aut traditus.* Auguſtinus *etiã in cõmentarijs pſalm.* 94. *uituperat eos qui dicũt diẽ ſolis, lunæ, &c.* Germanicus *quidem ſermo partim retinet gen-*

tilitia

tilitia nomina dierum, ut ſontag, montag: partim mutauit, ut zinſtag. mituuoch.

MENSES.

MEnſem à metiendo et menſura denominatum eſſe, M. etiam Cicero putauit: Rectius Varro: Menſis à lunæ motu dictus, dum ab ſole profecta rurſus redit ad eum luna: quòd Græcè olim dicta μήνη: unde illorũ menes. Ergo μεὶς uel μὴν eſt menſis: quia μήνη tam ſignificat lunam, quàm σελήνη aut λύνη. Hinc Latini menſes dicunt, & eoſdem lunas: ſicut tropo ſoles pro diebus dicũtur. Lunationes quoque non adeò eleganter dicunt, pro lunis aut menſibus. Ebræi ירח iareahh, et ירח iarahh, tam lunam quàm menſem appellant. Quod Eccleſiaſticus etiam admonet de luna loquens, Menſis ſecundum nomen eius eſt. Sed & חדש hhodeſch, menſis, & nouilunium ab innouatione habent nomen. Prius autem nomen ab ארח, id eſt uagando & peragrãdo fluxiſſe crediderim. Vtrique etymologiæ adſtipulatur ſenſus communis, cui ſe luna offert ſubinde noua forma, & mirificè uaga. Et uſqueadeò uaga Scythia eſt, ut prouerbio locũ fecerit inconſtantiæ, quod pronunciat, ſtultum mutari ut lunam. Phyſicorum etiam doctrina ſuffragatur. Plinius quidem lib. 2. cap. 9. ita ſcribit: Omnium admirationem uin

cit nouiſsimum ſidus, terriſq; familiariſsimum, & in tenebrarum remedium à natura repertũ. Multiformi hæc ambage torſit ingenia contemplantium, & proximum ignorari maximè ſidus indignantium, creſcens ſemper, aut decreſcens. Et modò curuata in cornua, modò æqua portione diuiſa, modò ſinuata in orbem, maculoſa, eademq; ſubitò prænitens: immenſa orbe pleno, ac repentè nulla: aliàs pernox, aliàs ſera, & parte diei ſolis lucem adiuuans: deficiens, & in defectu tamen conſpicua: quæ menſis exitu latet, cum laborare iam creditur. Iam uerò humilis & excelſa, & ne id quidem uno modo. ſed aliàs admota cœlo, aliàs contigua montibus: nunc in aquilonem elata, nunc in auſtros deiecta. Quæ ſingula in ea deprehendit hominum primus Endymion: & ob id amore eius captus, fama traditur. Non ſumus profectò grati erga eos, qui labore curaq; lucem nobis aperuere in hac luce: miraq; humani ingenij peſte, ſanguinem & cædes condere annalibus iuuat, ut ſcelera hominum noſcantur mundi ipſius ignaris. Proxima ergo cardini, ideoq; minimo ambitu uicenis ſeptenisq; & tertia diei parte peragit ſpacia eadem, quæ Saturni ſidus altiſsimum triginta, ut dictum eſt annis. Dein morato in coitu ſolis biduo, cum tardiſsimè, à triceſima luce

rurſus

rurſus ad eaſdem uices exit. Haud ſcio, an omnium quæ in cœlo pernoſci potuerunt, magiſtra. In duodecim menſium ſpacia oportere diuidi annum, quando ipſa toties ſolem redeuntem ad principia conſequitur: ſolis fulgore eam ut reliqua ſidera tegi, ſiquidem in totum mutuata ab eo luce fulgere, qualem in repercuſſu aquæ uolitare conſpicimus: ideo molliore & imperfecta ui ſoluere tantum humorem, atque etiam augere, quem ſolis radij abſumant: ideo & inæquali lumine aſpici, quia ex aduerſo demum plena, reliquis diebus tantum ex ſe terris oſtendat, quantum ex ſole ipſa concipiat: In coitu quidem non cerni, quoniam hauſtum omnem lucis auerſa illò regerat, unde acceperit. Et 10. cap. Defectus autem ſuos, & ſolis, rem in tota contemplatione naturæ maximè miram, & oſtento ſimilem, eorum magnitudinum umbræq; indices exiſtere. Quippe manifeſtum eſt, ſolem interuentu lunæ occultari, lunamq; terræ obiectu: ac uices reddi, eoſdem ſolis radios luna interpoſitu ſuo auferente terræ, terraq; lunæ. Hac ſubeunte, repentinas obduci tenebras, rurſumq; illius umbra ſidus hebetari. Neque aliud eſſe noctem, quàm terræ umbram. Figuram autem umbræ similē metæ ac turbini inuerſo, quādo mucrone tantum ingruat, neque lunæ exce-

dat altitudinem: quoniã nullum aliud ſidus obſcuretur eodem modo, & talis figura ſemper in mucronem deficiat. Spacio quidem cõſumi umbras, indicio ſunt uolucrum prædalti uolatus. Ergo confinium illis eſt aeris terminus, initiumq́; ætheris. Supra lunam pura omnia, ac diuturnæ lucis plena. A' nobis autem per noctem cernuntur ſidera, ut reliqua lumina è tenebris. Et propter has cauſas nocturno tempore deficit luna. Stati autem atque menſtrui non ſunt utrique defectus, propter obliquitatem ſigniferi, lunæq́; multiuagos, ut dictum eſt, flexus, non ſemper in ſcrupulis partium cõgruente ſiderum motu. Et 11. cap. Hæc ratio mortales animos ſubducit in cœlum, ac uelut inde contemplantibus, triũ maximarum rerũ naturæ partium magnitudinem detegit. Non poſſet quippe totus ſol adimi terris intercedente luna, ſi terra maior eſſet quàm luna. Certior ex utraque uaſtitas ſolis aperitur. Ac 13. cap. Defectus ducẽtis uigintiduobus menſibus redire in ſuos orbes, certum eſt: ſolisq́; defectum non niſi nouiſsima primáue fieri luna, quod uocant coitum: Lunæ autem non niſi plena, ſemperq́; citra, quàm proximè fuerit. Viſum eſt lunæ mutationes, quæ nomen dedit menſibus, explicare uerbis doctiſsimi uiri, quæ ad propoſitum hoc omnino pertinent. Cæterùm quia

quia eruditi homines, itemq; populi, tum menſes tum annum, uel ad lunæ rationem, uel ad ſolis, uel ad utriuſque ſideris motum retulerunt, nec illæ partes explicari rectè à nobis poterũt, neque certa ratio temporum conſtitui, quod hoc libro ſtudemus facere, ac rerum earum notitia multis nominibus eſt utilis & neceſſaria uitæ humanæ, breuiter & perſpicuè ex optimis autoribus lunæ atq; ſolis motus explicare. Eam *notitiam quanti fecerint patres eccleſiaſtici, liquet ex multis libris ipſorum ſcriptis in hoc argumento: liquet ex ſynodorum (ueluti primæ illius et celeberrimæ* Nicenæ*) decretis & actionibus.* Et *quia rationem temporum accommodare* Chriſtianis *rebus ſtatui, utile fuerit ex patrum literis inſerere, quanta eccleſiæ tempeſtas oborta ſit ex inſcitia temporum, & quomodo ſedata ſit ex peritia eorum.* Commodo *imperante* Romæ, Victore *autem epiſcopo circa centeſimum ſeptuageſimũ annũ à* CHRISTO *nato, in prouincijs* Aſiæ *quæſtio non minima exoritur, uelut ex antiqua eorum obſeruatione deſcendens, quòd quartadecima luna putarent paſcha obſeruandum, quando ſcilicet* Iudæis *agnus præcipitur immolari: cum talis conſuetudo in nullis prorſus alijs unquam obſeruata fuiſſet eccleſijs. Ob quam cauſam conuentus epiſcoporum*

& cõcilia per ſingulas quaſque prouincias conuocãtur: prorogatisq́; ad ſe inuicem epiſtolis de ſingulis quiſque locis, unum omnes eccleſiaſticum dogma confirmant, ne liceat aliquando, niſi in die Dominica, in qua Dominus reſurrexit à mortuis, dominicum paſchæ celebrare myſterium, & in hac ſola ſoluendum eſſe paſchale ieiunium. Sed epiſcopi regionis Aſianæ, ſeruandam magis à ueteribus ſibi traditam conſuetudinem confirmabant. Victor autem eccleſiæ Romanæ epiſcopus, pertinacius agens, eccleſias Aſiæ & uicinarum prouinciarum tanquam in hæreſin declinantes, paßim literas mittens, à communionis ſocietate & eccleſiaſtico fœdere abſcindit, & ſegregat. Id quod non omnib. epiſcopis placuit: eumq́; per epiſtolas iubent, magis ea quæ pacis ſunt agere, ac ſtudere concordiæ & unanimitati. Irenæus autem Lugdunenſis epiſcopus, tum alia ſcribit ad Victorẽ, ipſum arguens, tum illud de uarietate paſchatis & ieiuniorum: quæ uarietas obſeruantiæ non nunc primùm, neque noſtris temporibus cœpit, ſed multo ante nos, ex illis opinor, qui non ſimpliciter quod ab initio traditum eſt, tenentes, in alium morem uel per negligentiam, uel per imperitiam poſtmodum decidere. Quæ quidem Euſebius lib. 5. Hiſtoriæ eccleſiaſt. fuſius proſequitur.

quitur. Cæterùm ſchiſma iſtud infeliciſsimum non reſarcitur eo tempore, ſed fit ſecta eorum, qui τεσσαρεσκαιδεκατῖται, hoc eſt, quatuordecimani uocati ſunt. E' quorum numero fuit Audius epiſcopus in Meſopotamia temporibus Conſtantini: à quo Audiani ſunt ſectatores cōditi. Hi etiam contenderunt, oportere paſcha agere, quo tempore Iudæi azyma comederunt, & ita in eccleſia receptum fuiſſe. Contra quam ſectam numero ſeptuaginta Epiphanius epiſcopus, doctrina & ſanctimonia percelebris, de ſynodo Nicena & Dei beneficijs per imperatorem Conſtantinum donatis eccleſiæ ſic ſcribit: Reuera duo maxima cōtribuit nobis Deus per prædictum Conſtantinum, Dei amantiſsimum, ac ſemper beatiſsimum. Alterum, quòd congregauit uniuerſalem ſynodum, edīditq; fidem in in Nicea editam, quam confeſsi ſunt illic, cum ſubſcriptione epiſcoporum, qui ibidem conuenerunt, quo Arius ſubuerteretur, & fidei puritas omnibus prædicaretur Alterum, ut ab ipſis corrigeretur paſchatis feſtiuitas ad unionem noſtram. Fuit enim omnino multa turba & ærumna: uelut multis ſtudioſis non ignotum eſt, quibus temporibus tumultuatum ſit in eccleſiaſtica prædicatione, de huius feſtiuitatis quæſtione, tum Polycarpi & Victoris temporibus, quum

Oriens ab Occidente *diſſentiret,& pacificatio nem inter ſe non admitterent: tum in alijs temporibus, &* Alexandri Alexandri*æ epiſcopi,et* Creſcentis*: quemadmodum comperiuntur, ut unuſquiſq; ipſorum aduerſus alterum ſcripſerit ac pugnauerit uſq; ad noſtra tempora: ex quo primùm turbatio cœpit poſt tempus epiſcoporum circumciſorum.* διὸ συνελθόντες οἱ πανταχόθεν τότε καὶ ἀκριβώσαντες, ὥρισαν μεθ' ὁμονοίας γίνεσθαι κατὰ τὸ πρέπον τῆς ψήφου καὶ τῆς ἀκολουθείας. *hoc eſt: Quapropter congreſsi tunc undiquaque & re diligenter æſtimata, decreuerunt concorditer, ut fieret iuxta decorum ſupputationis & calculi, ac conſequentiæ.* Et *poſtea:*Ex *tribus conſtat paſchatis cõiũctio: ex ſolari curſu, propter* Dominicã *diem & menſem: & ex lunari curſu, propter legem, quo in decimaquarta lunæ immolaretur paſcha, uelut lex dixit.* Nõ *igitur poteſt peragi, niſi præterierit æquinoctium: quod apud* Iud*æos non ſeruatur, neque exactè uolunt tale perficere negocium. Corruerunt enim apud ipſos, & confuſa ſunt omnia.*Et *iterum:* Poterant *de hoc multa dici, quomodo rectè fecerunt patres, imò potius, ut per ipſos* Deus *correxit eccleſiam: ut tota ueritatis certitudo huius colendiſsimæ feſtiuitatis poſt æquinoctium fieret, quando decimæ quartæ*

mæquartæ lunæ diei computatio incidit. Ac paulo pòſt: Anni contraria transgreßione tardantes propter diuerſos inter ſe ſolis ac lunæ curſus, hanc inæqualitatem efficiunt. Non quòd offendiculum à Deo ſit decretum, ſed exacta certitudine hac à Deo ordinata, iuxta ſapientem penitus ipſius gubernationẽ, quam largitus eſt proprio ſeculo, dum definita ordinauit luminaria & tempora, annos item ac menſes & ſolstitia: & dum prouidis hominibus harum rerum ſtudium ac curam contribuit ex ſua erga homines benignitate. Quum enim annus iuxta ſolarem curſum cõpleatur, in 365. diebus & horis tribus, luna uerò annum faciat in 354. diebus: contingit propterea, ut deficiant curſui ſecundum lunam dies 11. horæ tres. Et poſtquam rationem intercalandi expoſuit, In his (inquit) trium intercalarium menſium conſtitutionibus diſcordantia eſt apud Iudæos & Chriſtianos atque alios. In his fit euariatio apud prædictos Audianos, qui ſeducunt uiros ac mulieres. In hac parte iactant ſe iuxta traditionem ab initio factam, & ſecundum conſtitutionẽ apoſtolorum, nullam certitudinem animaduertentes, neque ſcientes claritudinem ſtudij ac curæ, quam Apoſtoli in conſtitutione fecerunt. Non quòd omnino Iudæi exactè hoc agant, ſed ut contentionem

tolle-

tollerent eorum, qui uolunt quoſuis iuxta ipſorum ſententiam peragere, & non in una concordia. Vnũ enim paſcha uult CHRISTVS, *& hoc reputat, & adſumit eum qui hoc citra contentionem celebrat cum ijs ſanè, qui hoc exactè faciunt cum tota eccleſia ſancta, quæ iuxta multos modos feſtiuitatem agit. Quod ſi ergo paſcha ſciſſum eſt à Conſtãtino, probabile fuit, id ab eis reprehendi et calumniari. Sin uerò ante Conſtantinum diſſidia fuere, & ludibrium fuit, Græcis traducentibus ac irridentibus diſcordiam in eccleſia, tempore uerò Conſtantini per diligentiam epiſcoporũ ſchiſma redactum fuit ad unam conſenſionem: quid magis utile fuit, aut gratiam meruit maiorem, quàm uno in die populum à finibus terræ conciliare Deo; & & cõcordare, ac uigilare, & eoſdem dies æqualiter agere in uigilijs & precationibus, cõfeſſioneq; ac cultu diuino, ieiunio, ſiccorum ciborum eſu, caſtitate, atque alijs bonis & Deo placentibus operibus per hanc diem colendiſſimam?*

MVNDVS, ET EIVS PARtes maximæ.

IGitur *ſecuti autoritatem uirorum, qui columnæ & lumina eccleſiæ fuerunt, motus ſiderum & orbium, quibus feruntur, quæ Deus in mũdo collocauit indices ac moderatores tem-*

porum

porum, conſideremus. Sine qua notitia temporum certa ratio, eaq́; rebus Chriſtianis & cognoſcendis & explicandis accommodata, conſtare non poteſt. Quem Græci κόσμον nomine ornamenti appellauerunt, eum & nos à perfecta & abſoluta elegantia mundum: celum uerò cælati argumento diximus. Vti enim libet uerbis Plinij. Ebræi עולם olam mundum atque ſeculum dicunt, ab æternitate ſeu duratione. Vt quum Solomon dicit Eccleſ.3. Cuncta fecit bona in tempore ſuo, mundum tradidit diſputationi eorum. Et תבל thebel, à commixtione: quod uerbum tamen frequentius terræ & elementis accommodatur: Latini autem uerterũt orbem. Vt Prouerb.8.cap. ſapientia Dei æterna omniũ opifex & architecton loquitur: Ante omnes colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat & flumina, & cardines orbis terræ. Orbis quidem, uel potius globus & ſphæra, חוג hhug dicitur, eodem loco. Doctiſsimè autem ab Ariſtotele in libro de Mundo, quid ſit mundus, exprimitur: σύστημα compages ex cœlo & terra, & naturis, quæ ijs continentur: uel ordo & digeſtio διακόσμησις uniuerſorum, quæ à Deo & propter Deum conſeruatur. Et eccleſia quidem erudita à Moſe & prophetis & apoſtolis, denique ab ipſo CHRISTO, per quem mundus eſt

dus eſt factus, ſentit unum eſſe mundum à Deo creatum ex nihilo, uerbo ſuæ potentiæ, à quo etiam gubernatur, finitus, in fine ſeculorum renouandus, ut aptißimum, ſempiternum, & immutabile domicilium ſit beatis. Suntq; iamdudum exploſa deliria Democriti, & Valentini, omniumq; hæreticorum & inanis philoſophiæ profeſſorũ, qui uel infinitos, uel plures mũdos, uel unũ mundum, qui nunquã incœperit, nunquã diſſoluendus & inſtaurandus ſit: uel mundum, aut mundi partes, eſſe deos: non modò impiè, ſed etiã ſtolidißimè ſomniarunt. Formã eius in ſpeciem orbis abſoluti globatã eſſe, æterno et irrequieto ambitu circumagi: partes eius præcipuas, ut cœleſtes orbes, & elementa quatuor, ipſas quoq; figura eſſe ſphærica, & moueri circulari ambage circum terrã: quæ ut baſis immota & centrũ mundi iacet, demonſtrationib. ſolidis mathematici deprehenderunt. Qui pũcta, & lineas rectas atq; curuas, ut polos, uerticaleq; pũctum, ut axes, diametros, ut circulos, ſemicirculos, epicyclos, arcus, ſegmenta, & id genus alia, quib. corporũ longitudinem, latitudinẽ, craßitudinemq; metimur, mundi partibus & earũ motibus ingenioſa imaginatione accõmodarũt. Longitudo cenſetur ab ortu in occaſum, latitudo à ſeptentrione in auſtrũ, altitudo ſupra uerticem noſtrum.

ſtrũ. Dextra mũdi pars in ſacris literis cenſetur auſtralis, uidelicet conuerſa facie in orientẽ ſolem. Aliter aũt cæteri ſcriptores cenſent mundi cardines. Scripturæ quidem ſanctæ nomine cœli aerẽ quoq; notant, qui & ſpiritus dicitur: cœliq; partes mundi ſuperiores notãt. Plato & Ariſtoteles, & eorum doctores in Aegypto eruditi, & eorũ diſcipuli, ut M. Cicero ſupra firmamentũ, in quo ſtellæ fixæ circunferũtur, quã ſphærã ſeu orbem octauum & primũ mouens conſtituunt, nullum corpus notum habuerunt. Sed poſteriorum ſagacitas, ut Ptolemæi & Alphonſi regis, & aliorum, ex triplici motu octaui orbis, animaduerterũt duos orbes ſuperiores: nonã ſphæram ſeu cœlum cryſtallinũ & aqueum: & decimam, quam uocãt primum mobile. Alium quoque ſitum planetarum, ut ſol non proximus lunæ, ſed medius ſeptem planetarũ uehatur, aeris animaduerſio mathematicorum poſt Platonem Ciceronemq; ratione certa deprehendit. Porrò theologi recentiores adiecerunt undecimum cœlum empyreum, immobile domicilium ſanctorum: ſed & cœlum trinitatis aliqui 12. fecerunt. Etſi uerò ad aſtronomiã & phyſicen pertinet, ſitum, magnitudinem, motus, effectionesq; partiũ mundi explicare: ſeruiret tamen inſtituto noſtro non parum, ſi ex idoneis authoribus

ſub

ſub aſpectum ea collocem. Prius tamen de tripli ci motu firmamenti paucis admonebo. Vnus eſt ueteribus etiam exploratiſsimus, quo mouetur tum octaua tum nona ſphæra, tum reliquæ ſeptem planetarum ad motũ primi mobilis, quod ſecũ rapit ac circũuoluit inferiores orbes ab ortu in occaſum horis 24. Qui eſt diurnus, æqualis, ſimplex & uniformis motus. De quo Plinius: Aeterno & irrequicto ambitu, inenarrabili celeritate, mundum uigintiquatuor horarum ſpacio circumagi, ſolis exortus & occaſus haud dubium reliquere. Is motus fit ſuper polos mundi, & circulum æquinoctialem, qui ſphæram diuidit in partes duas æquales. Habetq; partes ſeu gradus 360. quot etiam circuli coluri, horizon, meridianus, zodiacus, & in eo linea ecliptica. Signifer ſeu zodiacus & obliquus circulus, 12. ſigna continet, arietem, taurum, & reliqua. Vt ſingulis ſignis obueniant 30. partes. Latitudo eſt 12. partium aut graduum. Secundus motus octauæ ſphæræ fit ad motum nonæ ſphæræ ab occaſu in ortum, contrarius ſuperiori motui ſuper zodiaci lineam eclipticam & polos zodiaci. Qui nunc diſtant à polis mundi gradibus uigintitribus, minutis uigintiocto, ſecundis 30. Is motus defectionis dicitur, & augium, & fixarum ſtellarum: qui fit ſecundum ſignorum zo-

diaci

diaci ordinem aut ſucceſsionem, per annos 200. gradum unum, minuta 28. circiter promouens: uel ut Ptol. per 100. annos, uno gradu. Quē obſeruationibus collectis à tempore Alexandri uſque ad Ptolemæum deprehenderunt. Tertius eſt motus, quem dicunt acceſſus & receſſus motū, & trepidationis motum proprius ſphæræ octauæ. Qui fit ſuper circulos duos, quorū poli ſunt arietis, & libræ capita, circum ſolſtitialia puncta ex ſeptentrione in meridiem. Eſtq; obſeruationibus, maximè Albategni & Tebit & Alphonſi, deprehenſus: qui 100. annis fermè gradum unum conficit. Planetarum motus uarius eſt, quem circulis mundo concentricis aut eccentricis, & epicyclis, punctisq;, ut auge uel apogæo, & oppoſito pūcto perigæo, lineisq; rectis, ut axibus & ſimilibus mirificè deliniarunt magiſtri artis aſtronomicæ. Hic duntaxat motum apponam, quem peragunt ſecundum ſignorum zodiaci ordinem, & tardius abſoluūt, quò remotior eſt unaquæque ſphæra à centro terræ, & proinde maior. Apponam & ſitum ex Plinio, magnitudines ex Ptol. lib. 6. cap. 16. Diſtantiam planetarum, ſiue quum proximi ſunt terræ, ſiue quū remotiſsimi ſunt, uariam tradidere autores: ideo eam rem in mediū relinquā. Corpus planetæ quātum ſit, cū terra componā.

	Motus			Magnitudo
	anni	dies	horæ	
Terra				Ambitus milia-ria Germ. 5400
Aqua				
Aer				
Ignis				
Luna		27.$\frac{1}{3}$		Terræ ſolida magnitudo maior q̃ lunæ 39.$\frac{1}{4}$ proximo.
Mercurius		339		
Venus		348		
Sol		365.$\frac{1}{2}$		Terræ magnitudinem continet 170. proximo.
Mars	2. fermè			
Iupiter	12			
Saturnus	30			
Firmamentum	7000			
Cœlū aqueum	49000			
Primum mobile	7000.		24	

Signiſeri etiam, quem Græci ζωδιακὸν & obliquum, & ſigniſerum ſuis uerbis nominant, Ebræi

Ebræi מזלות *mazaloth*, 12. *ponere ſigna uiſum eſt Latinè & Græcè, & Ebraicè, quibus nominibus aſtrologi, ut phariſæi, ſunt uſi olim. Sed & menſes illis aptatos, ex Damaſceno, & Beda, qui tamen Aprilem aptat arieti, & deinceps alios ſimiliter.*

Aries	κριὸς	טלה	Martius
Taurus	ταῦρος	שור	Aprilis
Gemini	δίδυμοι	תאמים	Maius
Cancer	καρκίνος	סרטן	Iunius
Leo	λέων	אריה	Iulius
Virgo	παρθένος	בתולה	Auguſtus
Libra	ζυγὸς	מאזנים	September
Scorpius	σκορπίος	עקרב	October
Sagittarius	τοξότης	קשת	Nouember
Capricorn.	αἰγόκερως	גדי	December
Aquarius	ὑδροχόος	דלי	Ianuarius
Piſces	ἰχθύες.	דגים	Februarius.

Ex ex ijs cœleſtibus corporibus diſtributis in uaria domicilia, & irradiationibus ſtellarum concinnata eſt aſtrologia diuinatrix, mirifica illa quidem artifex ſeſe inſinuandi apud excellentiſſima ingenia etiam. Ideo multi eam ſunt amplexati, & prædicarunt eam præclari uiri: quæ tamen damnata eſt à ſummis theologis, & legibus ſapientiſſimorum principum, idq; ex autoritate eloquij diuini. Gregorius quidem

Nazianzenus planetarios iſtos & augures cœli perinde facere ait, ut ſi quis conſpecto palatio aut ſolio principis, conetur eius cogitationes & animi decreta explicare. Auguſtinus adiungit eam artibus, quæ habent commercium atque fœdus cum dæmone malo. Tertullianus uetuſtiſsimus eccleſiæ ſcriptor cap. 23. Apologetici, de moribus Chriſtianorum ita refert: Aſtrologorum, aruſpicum, augurum, magorum artes, ut ab angelis deſertorib. proditas, & à Deo interdictas, ne ſuis quidẽ cauſis adhibent Chriſtiani. Et Philaſtrius, eſt, inquit hæreſis, quæ dicit ſecundum 12. zodia naſci homines, ſicut mathematici illi uaniſsimi, totiusq; erroris & ſceleris adſertores. Baſilius Homil. 6. in Hexaemero, quum prognoſtica temporum, & ſignificationes tempeſtatum aſtris concedat, genethliacos tamen, ceu tranſilientes ſepta, grauiter confutat, ut qui occupatiſsimam uanitatem ſectentur. Ne ipſe quidem Ptolemæus princeps aſtronomiæ, eouſque prædictiones aſtronomicas, & ſiderum effectus prouexit, ſi modò ipſius eſt liber quadripartitus, & liber fructuum, quo male feriati Chriſtiani contemptis legibus prophetarum ipſius adeo Domini exercitũ prouexerũt. Quos etiam Cicero Ennij uerbis exagitat:

Non habeo denique nauci Marſum augurem,

Non

Non Cicanos aruſpices,nõ de Circo aſtrologos,
Non Iſiacos cõiectores, nõ cõiectores ſomniûm.
Non enim ſunt ij aut ſcientia,aut arte diuini:
Sed ſuperſtitioſi uates, impudenteſq; arioli.
Qui ſibi ſemitã nõ ſapiunt, alteri mõſtrant uiã.

SOLIS MOTVS.

Sed ea quæ propius ad rationẽ temporum adtinent, iam proſequamur. De uno ſolis motu, quo ab ortu in occaſum rapitur à primo mobili,antè dictum eſt in ratione diei. Nam hoc ſpacium metitur diem & noctem. Exactiſsima quidem ratione 24.horis,quibus uoluitur in ſeſe prima uel decima ſphæra propter ſolis motum ab occaſu in ortum uarietas accedit fermè 5.minutorum, quibus dies naturalis etiam inter ſe inæquales ſunt æſtate breuiores, hyeme longiores. Præterea motu à tropico circulo ad tropicũ per æquinoctialem dies ita uariat, ut in noſtro climate & parallelo per Heluetiorum heremũ lõgiſsima dies ſit horarũ 16. breuiſsima 8. Iam uerò ab æquinoctio uerno ad punctum æquinoctij autumnalis per ſigna æſtiua 187.diebus mouetur: à puncto uerò æquinoctij ad uernum,per ſigna hyberna diebus 178.$\frac{1}{4}$ mouetur. Quibus conſummatur anni curriculum.Id quia uariè definitum eſt,proponam calculos aliquot excellentium uirorum. Ex quibus Ioan.Luci-

dus maximè probat rationem Albategni Arabis, ut quæ adamuſsim reſpondeat motui ſolari.

	Dies	horæ	minuta	ſecunda.
Thebit	365	5	9	12
Hipparchus, Auguſtinus, Plinius	365	6		
Alphõſus, Phil. Melanchth.	365	5	49	16
Albategni	365	5	46	24
Epiphanius	365	3		

Mouetur ergo die uno ciuili minutis 59. ſecũdis 8. tertijs 17. quartis 13. quintis 12. ſextis 31. iuxta calculum Ioan. de Sacro buſto, & Ptolemæi lib. 3. & ſex horis illis non deeſt unius horæ duodecima. De cyclo autem ſolari, qui 28. annis completur, itemq; de cyclo lunari, qui 19. annis peragitur, ſuo dicetur loco, ubi certa radix temporum conſtituta fuerit.

LVNAE MOTVS.

LVnam peragrare orbem, quem Saturnus 30. annis, ipſam diebus 27.⅓ Plinius autor eſt cap. 9. Idem cap. 14. lunam ſemper auerſis à ſole cornibus, ſi creſcat, ortus ſpectare: ſi minua-

minuatur, occaſus, haud dubium eſt. Lucere dodrantes ſemuncias horarum ab ſecũda adijcientem uſque ad plenum orbem, detrahentemq; in diminutionem. Intra quatuordecim autem partes ſolis ſemper occultã eſſe, Beda 15. cap. de rerũ natura. Sol, inquit, actis 365. diebus, horis 6. luna 24. diebus, horis 8. zodiaci ambitum luſtrant. Idem, Luna quotidie 4. punctis ſiue creſcens à ſole longius abit, ſeu decreſcens ſoli uicinior, quàm pridie fuerat, redditur. Singula autem ſigna 10. habent punctos, id eſt, duas horas. Si ergo ſcire uis, quo in ſigno luna eſt, multiplica lunam quamlibet per 4. ut decimamquintã. Fient 60. Diuide per 10. & deprehendetur ſex ſignis à ſole diſtare. Sed quoniam hic quoque diuerſus eſt calculus, aliquot rationes inter ſe componam motus lunæ per zodiacum.

	Dies	horæ	minuta	ſecunda.
Plinius	27	8		
Alphõſus	27	7	44	5. fermè
Philipp. Melanc.	27	7	43	7
Beda	29	12		

Auguſtinus 30. Is menſem plenum tot diebus metitur. Subtiliori autem ratione, is lunæ motus conſideratur, ut redit ad punctum, unde in

d 4 pro-

proxima cõiunctione fuerat digreſſa: unde menſis dicitur περιοδικὸς *peragrationis. Aut ut etiã ſolem aſſequitur: unde menſis* συνοδικὸς, *conſecutionis ſiue coniunctionis. Quem iuxta medium motum apponam.*

	Dies	*horæ*	*min.*	*ſecunda*	*tertia.*
Philip.	29	12	12	3	
Ioan. Lucidus.	29	12	44	3	3

Aut à primo conſpectu lunæ naſcentis, ad ultimam decreſcentis fermè dies 28. unde menſis illuminationis dicitur, ſiue apparitionis.

Porrò quum luna curriculo anni, duodecies peragret circulũ, quem ſol duntaxat ſemel permeat, ac ſolem anteuertat diebus undecim & quadrante, adijciuntur ad 354. dies, quibus duodecies luna peragit circulum, dies illi quos uocant epactas, ut annus lunaris & ſolaris coniũgantur. Cyclum uerò luna ſuũ abſoluit annis 19. ut cum ſole concurrat eodem in puncto. Quod Plinius innuere uidetur capit. 13. Defectus 222. menſibus redire in ſuos orbes, certum eſt. Poſtulat nunc ordo, ut priuſquam annus & menſis explicẽtur, conſtituatur cardo aliquis temporum, à quo initium anni & menſium & reliquarum dimenſionum accipiatur.

CERTA RADIX temporum.

CL. Ptolemæus quemadmodum in coſmographia tradenda principium certũ conſtituit lõgitudinis & latitudinis terræ:ita etiam admonet libro 3. Almageſti, radicem aliquã certam motuum cœleſtium eſſe figendam, ad quam motus animaduerſus per inſtrumenta horoſcopa referatur, uelut æquinoctia, ſolſtitia, ſolis maxima declinatio, motus ſtellarum fixarum, motus ſolis, lunæ, & aliarum ſtellarum errantium. Annuumq́; tempus à puncto immobili quopiam circuli ſolis uel zodiaci dimetiendum exiſtimat, dum ſol ad eum redeat. Maximè uerò probat æquinoctiale punctum. Et libr. 2. Quadripartitæ cõſtructionis de anni nouilunio diſputans, cum ſub linea ecliptica duntaxat probabilia principia ſumi poßint, ut puncta æquinoctialia & ſolſtitialia, uernum æquinoctium præferre uidetur. Etenim ut in locorum diſtantia inueſtiganda opus eſt aliquo cardine & principio, ueluti quantum Roma *diſtet in ſeptentrionem & occaſum ab* Alexandria, *quantum* Hieroſolyma *in ortus.* Id *quum eſt indicatum per meridianos & parallelos, inuentũ eſt, quantum* Roma *&* Hieroſolyma *diſtent.* Vt *nauigantes per mare, neceſſariò ſidus obſeruant, puta* Canopum, *aut* Cyno-

ſuram, aut aliud ad quod curſum dirigant, ut nulla prorſus quantitas inueſtigari poteſt ſine aliqua radice & principio. Ita oportet in quantitate anni, & initio eius conſtituendo, itemq; menſium, habere fixum atque certum principium. Inde iam initia ciuitatum & populorum, & aliarum memorabilium rerum, quas æras uocant, deduci poſſunt. Quanquam uerò eruditi homines, itemq; populi diuerſa principia menſium & annorum conſtituerint, in hoc tamen conueniunt, quod uel in æquinoctio altero, uel in ſolſtitio poſuerunt. Antiquiſsimam & ſumma cum ratione, et diuinitus adeò traditam obſeruationem legimus in Moſe, ut Exod. 12. Menſis iſte uobis principium menſium erit, primus erit in menſibus anni. Is uocatur menſis אביב, hoc eſt, nouarum frugum & etiamnum turgentium atque matureſcentium. Ioſephus lib. 3. Antiquitatũ de legibus Moſaicis: Menſe xanthico, qui apud nos Niſan appellatur, id eſt anni principiũ, quartadecima luna, ſole oppoſito in ariete, quo menſe liberati ſumus à ſeruitute Aegyptiorum, ſacrificium, quod tunc egredientes ex Aegypto fecerunt immolare nos annis ſingulis, quod paſcha dicitur, celebrareq; ſanciuit. Et paulo poſt: Secunda die azymorum, quæ eſt decimaſexta, frugum primitias, quas metunt, antequam

tequam ex eis ueſcantur, iudicantes iuſtum eſſe, Deum primitijs honorari, quòd hac ubertate ſint impleti, offerunt iſto modo. Siccantes ſpicarum manipulum, & contundentes, & munda ad coquendum hordea facientes, aræ Dei aſſarium inferũt: & unum pugillum, id eſt δράκα, ex eo mittentes, reliquum ſacerdotum uſui derelinquunt. Et tunc iam licebit omnibus pro ſua uoluntate metere. Idem libro 2. de egreſſu Iſr. Deus iuſsit præcipere, ut eſſent inſtructi decima die xanthici menſis ad quartamdecimã, qui menſis aqud Aegyptios quidẽ Pharmuthi, apud Ebræos Niſan uocatur. Macedones uerò xanthicum eũ appellant. Pro xanthico libro 6. belli Iudaici Aprilẽ interpres reddidit. Hieronymus aliquoties Niſan dicit reſpondere quarto menſi, nempe Aprili. Itaque non eſt dubium, quem menſem primum, quódue Deus initium anni populo ſuo tradiderit. Ab hoc menſe reliqui etiam denominantur, ſecundus, tertius, & deinceps uſque ad duodecimũ. Anatolius quoque ex Philone & Ioſepho, & Ariſtobulo, qui unus fuit 70. interpretum, & ex eius præceptore Agathobolo, docet paſcha nõ poſſe celebrari, priuſquam æquinoctium uernale tranſierit. Hoc ipſum quoque principium eſſe mundi, coniecturis admodum probabilibus colligunt ſummi theologi

logi noſtri. Vt quod Deus hoc initium dimetiendi annos & menſes populo ſuo per Moſem tradidit: uoluitq́; celebrari liberatione inſigni, & anniuerſarijs ferijs. Deinde admodum piè et acutè ratiocinantur, obſeruatas eſſe omnes negociorum circumſtantias in reparando genere humano, quæcunque in perditione Adamica euenerunt. Ex arbore namque pomo decerpto contra diuinum iuſſum primi parentes mortem ſibi atque poſteris conciliauerunt. In ligno igitur crucis Dei filius obediens patri, & mortem perferens, uitam reparauit. Et illam ipſam fuiſſe arborem in paradiſo lignum ſcientiæ boni & mali: In qua CHRISTVS pependit factus lignum uitæ omnibus credentibus, ex traditione antiquiſsimum receptum eſt. Paradiſus fuit in oriente. in oriente paſſus eſt Dominus. Vt'que patres exactiſsimè notarunt, in eo colle, in monte Moria, in quo Iſaac fuit immolandus, in quo templum, in quo locus Caluariæ, in eo ſepultum fuiſſe Adamum: ibidemq́; fuiſſe locum, in quo à ſatana decepti primi homines corruerunt. Protoplaſti eijciuntur ex paradiſo, angelorum ignea etiam cuſtodia adhibita. CHRISTVS in cruce latroni promittit, ingreſſurum paradiſum eo ipſo die. Vt ergo circumſtantiæ loci, modi, inſtrumentiq́; obſeruatæ ſunt: ita

etiam temporis circumſtantiam neglectam fuiſſe, minimè concedunt patres eccleſiaſtici. Voluntq́; Dominum ſeruatorem pro ſalute noſtra mortuum tempore, die, hora, qua primi homines ob commiſſum ſcelus eiecti ſunt è paradiſo. Mortuum autem ſcimus tempore ueris, primo menſe ab æquinoctio, die 14. menſis feria ſexta: horáq; meridiana, quãdo peccatum eſt, in ſe recepta mortis ſententia, crucem aſcendiſſe: hora uerò nona ad ueſperam, ut Deus ad auram diei exercuit iudicium in paradiſo, magna uoce emiſiſſe animam. Quo die Adam formatus eſt, & deliquit: Verbum autem Dei ex ſpiritu ſancto conceptum in utero ſanctiſsimæ uirginis Mariæ, de qua primum euãgelium prædicauit, Inimicitias ponam inter ſemen tuum, & ſemen mulieris: & ipſum conteret caput tuũ, tu autem inſidiaberis ipſius calcaneo: eo ipſo die, qui ſextus dies fuit conditi mundi, ſeruator noſter moriendo uitam atque ſalutem æternam recuperauit. De quo ſaltem unius theologi & uetuſtiſsimi quidem uerba huc ponere uiſum eſt. Irenæus enim lib. 5. Aduerſus hæreſes, Omnia, inquit, recapitulans CHRISTVS, *recapitulatus eſt: & aduerſum inimicum noſtrum bellum prouocans, & elidens eũ qui initio in Adam captiuos duxerat nos, et calcans eius caput. Et uerbis ali-*

quot

quot interiectis: Inobedientia Dei mortem inſert: propter hoc ex eo traditi ſunt ei debitores mortis effecti. In ipſa itaque die mortui ſunt, in qua manducauerunt & debitores facti ſunt mortis: Quoniam conditionis dies unus. Factus eſt enim, inquit, ueſpere et mane dies unus. In ipſa autem hac die manducauerunt, in ipſa autem & mortui ſunt. Secundum autem circulum & curſum dierum, ſecundum quem alia quidem prima, alia autem ſecunda, & alia tertia uocantur, ſi quis autem uelit diligenter diſcere, qua die ex ſeptem mortuus eſt Adam, inueniet ex Domini diſpoſitione. Recapitulans enim uniuerſum hominem in ſe ab initio uſque ad finem, recapitulatus eſt & mortem eius. Manifeſtum eſt itaque, quoniam in illo die mortem ſuſtinuit Dominus obediens patri, in qua mortuus eſt Adam inobediens Deo. In qua autem mortuus eſt, in ipſa & manducauit. Dixit enim Deus, In qua die manducabitis ex eo, morte moriemini. Hunc itaque diem recapitulans in ſemetipſum Dominus, uenit ad paßionem pridie ante ſabbathum, quæ eſt ſexta conditionis dies, in qua homo plaſmatus eſt: ſecundam plaſmationem quæ eſt à morte, per ſuam ei paßionem donans. Aliam etiam rationem Damaſcenus exponit his uerbis: Per ſolem quatuor tempo-

rum

rum uerſiones immutationésque cõſtituuntur. Et prima quidem uerna eſt. In ipſa enim Deus fecit uniuerſa. Id oſtendit & nunc uſque in ea pullulationem florum, quæ & æquidia uerſio eſt, & æquinoctialis. Atque in hac ſententia mundum eſſe conditum, atque adeò mundi primordia eſſe in uere, fuit Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Damaſcenus, Beda, Iſidorus, autor hiſtoriæ ſcholaſticæ, & recentiores plerique theologi & aſtronomi. Ex Ebræis rabi Iehoſua, cum alijs quibuſdam. Id initium ergo anni, quod deducitur ab æquinoctio uerno, aſtrologi Aegyptij, & orientales omnes, ut Albategni teſtatur de antiquiſsimis omnibus aſtronomis, probarunt maximè, principium anni conſtituentes in primo arietis puncto, in meridie.

Auguſtinus quidem menſis diem indicat etiã quæſt. 106. Luce facta, & curſu 12. horarum impleto, totidẽq; & noctis, ſpacio peracto, æquinoctiũ fuit in primo die, et exinde cœpit dies creſcere. Et mox: In principio facta fuit luna quartadecima: quia omnia plena ſunt facta. Adde triduum à decimo ueſpere, et hi tres ſunt dies ante luminaria, quæ fuerunt: ut undecimo Calendas Aprilis factus ſit mundus. Et 55. quæſtione, cur uoluerit Dominus pati octauo Calend.

Apri-

Aprilis, quando Iudæi paſcha erant acturi. Et Beda cap.29.de Rerum natura. Vt de æquinoctio uerno, quod caput eſſe quatuor mutationum annalium, mundi origo docet, breuiter loquamur: Regula tenet Eccleſiaſticæ obſeruationis à Niceno confirmata concilo, ut paſchæ dies ab 11.Cal. Apriles, uſque in 7. cal. Maias inquiratur. Item catholicæ inſtitutionis regula præcipit, ut ante uernalis æquinoctij tranſgreſſum paſcha non celebretur. Et poſtquam obſeruationem Iudaicã paſchatis recenſuit ex antiquiſſimis autoribus, ſubdit: Vnde nos neceſſe eſt ob conſeruandam ueritatis regulam, dicamus apertè, & paſcha ante æquinoctium tenebrasq́; deuictas non immolandum, & hoc æquinoctium 12. Calendarum Aprilium diei ueraciter adſcribendum, ſicut non ſolum autoritate paterna, ſed & horologica conſideratione docemur. Atque Plinij & Hippocratis, nec non aliorum rationibus de partibus anni expoſitis ſubijcit: Hæc quidem gentiles, quibus non diſsimilia de tempore etiam melius complures eccleſiæ tradidere magiſtri, dicentes: 8.Cal. Aprilis in æquinoctio uerno Dominum conceptum & paſſum: eundem in ſolſtitio brumali 8.Cal. Ianuarias natũ: Item beatum præcurſorem & baptiſtam Domini 8.Cal. octobres in æquinoctio autumnali conceptum, & in

ſolſti-

ſolſtitio æſtiuo 8. Cal. Iulias natum, addita inſuper expoſitione. Quòd autorem lucis æternæ cum cremento lucis temporariæ concipi ſimul & naſci deceret: pœnitentiæ uerò præconem, quem oportebat minui, cum inchoatá minoratione lucis generari pariter & concipi.

Tenemus igitur firmũ, ſtabile, certumq́; principium & cardinem atque radicem temporum illum diem fauſtiſsimum, quo genus humanum in Adamo eſt conditum, & reparatum ſextus ab illo qui mundo ſimul & tempori dedit initium. Quo cœlum, terráq;, & totum mundi opificium abſolutum eſt ab architecto omnipotenti. Quo Deus ipſe concionando filium unigenitum promiſit, qui ſerpentis uim mortiferam aboleret. Quo Pharaonis tyrannica potentia fracta eſt per opem diuinam, populusq́; Iudaicus ex antiquiſsimo pacto in libertatem aſſertus eſt. Quem Deus annuo ſacrificio maxime ſolenni uoluit inſignem eſſe. Quo Deus filius per ſanctum ſpiritum incarnatus & homo factus eſt, conceptus in utero beatiſsimæ uirginis. Quo lapis ille, in quem oculi omnium coniecti ſunt, celatus eſt aperto CHRISTI latere, & ablata iniquitas terræ in una die, ut Zac. 3. cap. prædixit. Quo deniq; Meſsias pontifex opt. max. & rex regum in ara crucis ſeſe uictimam obtu

lit Deo patri Domino exercituũ pro ſalute totius mũdi, anno 18. imperatoris Tiberij. Quem diem uniuerſi mundi opifex & gubernator inſignem fecit, tenebris inductis orbi per tres horas: ut nõ modò ſentirent homines in Syria, ſed etiã in Aegypto, in Græcia, in Italia, ut Romæ, in Anglia, breuiter in toto habitabili orbe. Is autem fuit, Domino I E S V mortem perferente proſabbathum, feria ſexta, 12. Cal. Aprilis, ut patres eccleſiaſtici in ſynodo Nicena, & Theophilus Alexandrinus, aliję; ſolertiſsimi uiri tradiderunt. Hunc ergo diem auſpicatiſsimum obſeruauit coluitq; uetus eccleſia: hunc religioſiſſimum habuit eccleſia CHRISTI, quæ menſem hunc Dominicũ appellauit. Ab eo die paſſionis Dominicæ, qui & incarnationis filij Dei, & conditi hominis anniuerſarius eſt dies, ſancti uiri, ut diuus Hieronymus, annos cõſignarunt. Hunc Thuſci etiamnum eſſe uolunt initium anni, haud dubiè ex uetuſtiſsima inſtitutione, quia ſemper laudem religionis & peritiæ rerum cœleſtium habuerunt: apud quos Ianus regnauit, ſiue is Iauen fuit, ſiue Noa. Si quidem ab incarnatione, ſiue conceptione diuæ Virginis annos cõputant. Qualem anni rationẽ procul dubio Roma primitus habuit. In qua, in foro boario ſimulachrum fuit dicatum Iano, digitis ita figuratis, ut 365.

ut 365. dierũ nota per ſignificationẽ annui temporis & æui ſe Deum indicaret. Cui 12. aras addixerunt, 12. menſium indices. Quem bifrontem, & quadriformem effigiarunt, ut quatuor anni temporũ indicem: ſed & clauigerum, utpote qui fores anni & temporis aperuerit: quæ Plinius, & Plutarchus, & Suidas, aliiq; autores commemorant. Sed eam rationem anni ruditas quædã peruerterit: ut quæ Romulus urbis conditor populo ſuo tradidit, uix Numæ & Iul. Cæſaris atque Auguſti prudentia potuerit aliquo pacto corrigere. Nec aliunde menſem βύσιον, qui uer obtinebat, Delphi acceperunt, quàm ex illo uetuſtiſsimo inſtituto. De quo menſe Plutarchus meminit in Hellanicis. Sed quomodo Ebræi, et aliæ gentes, ab hac rectiſsima inſtitutione deſciuerint, deinceps aperietur.

MENSES.

A Luna, ut antea cœperamus dicere, menſes nomen habent in pleriſque linguis. Vnde Aur. Auguſtinus 30. dies, hoc eſt, menſem ait lunam uocari. Ad lunæ autem rationem dirigi debere, ſatis indicauimus. Cæterũ duo menſiũ genera indicat Cenſorinus, in quæ alia etiam concludi poſſunt. Vel enim naturales ſunt, uel ciuiles, quos nunc uſuales dicunt menſes. Naturales ſiue cœleſtes, antiquiores ſunt, & omniũ gen

tium communes: qui uel ſolis dicuntur uel lunæ menſes. Nec habent omnes dies totos, nec peræquè inter ſe pares ſunt. Nã ſecũdum ſolem fit menſis, dum ſol in zodiaco orbe unũquodq; ſignum percurrit. Id autem fit 30. diebus. Quales nimirum Aegyptij obſeruarũt: & quales Auguſtinus intelligit, quum menſem facit 30. dierum, annum ex 12. menſibus compoſitum 365. dierum. Lunaris menſis, eſt temporis quoddam ſpacium à noua luna. De motu quidem lunæ ſatis eſt ſuperius dictum. Ab una ſanè congreßione cum ſole ad alteram, iuxta medium motum ſunt dies 29. horæ 12. minuta 44. ſecunda 3. tertia 3. Ciuiles menſes ſunt numeri quidam dierũ, quos unaquæque ciuitas ſuo inſtituto obſeruat. ut nunc Roma à Calendis in Calendas. Id quidem Cenſorinus dicit de anno Iuliano. Quia Iulius corrigens perturbatißimũ anni curſum, anno circiter 45. ante CHRISTVM *natum, anni principium & primum menſem conſtituit Ianuarium, quando coniunctio fuit luminariũ. Non autẽ dies pares ſingulis menſib. tribuit, ſed alijs 31. alijs 30. Februario 28. aut 29. dies. Ciuiles menſes numero dierũ inter ſe diſcrepãt, ſed dies ubique totos habent. Minimè quidem uidentur erraſſe, qui ad lunæ curſum menſes ciuiles accõmodarunt: ut in Græcia pleraque, apud quos*

alter-

alterni menſes ad triginta ſunt dies facti. Qui menſes ſynodici dicantur, aut periodici, aut illuminationis, antea, quum de motu lunæ agerem, expoſui. Eorum qui ſynodici uocantur, quum uiciſsim unus habet 30. dies, alius 29. alij ſunt pleni, alij cani. Menſem etiam dicunt tempus, quo luna duodecies peragrat zodiacum: qui potius annus eſt lunaris. Vt contrà nonnulli menſes ſingulos pro annis habuerũt, ſicut Auguſtinus etiã docet. Porrò quum diuerſi menſes ſunt ciuitatum atque populorum, non parum adtinet ad inſtitutam rationem temporum, quam accommodare ſtudemus rebus Chriſtianis, ut aliquot nationum menſes cum Ebræorũ menſibus componamus. Id quàm ſit utile & adeò neceſſarium in exteris hiſtorijs cognoſcendis, copioſe oſtendit Paulus Eberus in ſuo Calendario. Quàm uerò pertineat ad ſacram hiſtoriam, uel Ioſephus ſatis monſtrat, qui ſubinde menſes Ebræorum cum Græcis comparat. Sed tamen operæpreciũ eſt, unum aut alterum locum ſubijcere ex ſermonibus diui Epiphanij, defendentis Chriſtianam religionem, doctrinam & eccleſiam aduerſum hæreticos & paganos. Qui de morte Valentiniani Cæſaris ita ſcribit: Præfocatus eſt in palatio Idibus Maij pridie pentecoſtes, in die ſabbathi: elatus autem ipſo die pentecoſtes. Erat au-

tium communes: qui uel ſolis dicuntur uel lunæ menſes. Nec habent omnes dies totos, nec peræquè inter ſe pares ſunt. Nā ſecūdum ſolem fit menſis, dum ſol in zodiaco orbe unūquodq; ſignum percurrit. Id autem fit 30. diebus. Quales nimirum Aegyptij obſeruarūt: & quales Auguſtinus intelligit, quum menſem facit 30. dierum, annum ex 12. menſibus compoſitum 365. dierum. Lunaris menſis, eſt temporis quoddam ſpacium à noua luna. De motu quidem lunæ ſatis eſt ſuperius dictum. Ab una ſanè congreßione cum ſole ad alteram, iuxta medium motum ſunt dies 29. horæ 12. minuta 44. ſecunda 3. tertia 3. Ciuiles menſes ſunt numeri quidam dierū, quos unaquæque ciuitas ſuo inſtituto obſeruat. ut nunc Roma à Calendis in Calendas. Id quidem Cenſorinus dicit de anno Iuliano. Quia Iulius corrigens perturbatißimū anni curſum, anno circiter 45. ante CHRISTVM *natum, anni principium & primum menſem conſtituit Ianuarium, quando coniunctio fuit luminariū. Non autē dies pares ſingulis menſib. tribuit, ſed alijs 31. alijs 30. Februario 28. aut 29. dies. Ciuiles menſes numero dierū inter ſe diſcrepāt, ſed dies ubique totos habent. Minimè quidem uidentur erraſſe, qui ad lunæ curſum menſes ciuiles accōmodarunt: ut in Græcia pleraque, apud quos*

alter-

alterni menſes ad triginta ſunt dies facti. Qui menſes ſynodici dicantur, aut periodici, aut illuminationis, antea, quum de motu lunæ agerem, expoſui. Eorum qui ſynodici uocantur, quum uiciſsim unus habet 30. dies, alius 29. alij ſunt pleni, alij cani. Menſem etiam dicunt tempus, quo luna duodecies peragrat zodiacum: qui potius annus eſt lunaris. Vt contrà nonnulli menſes ſingulos pro annis habuerũt, ſicut Auguſtinus etiã docet. Porrò quum diuerſi menſes ſunt ciuitatum atque populorum, non parum adtinet ad inſtitutam rationem temporum, quam accommodare ſtudemus rebus Chriſtianis, ut aliquot nationum menſes cum Ebræorũ menſibus componamus. Id quàm ſit utile & adeò neceſsarium in exteris hiſtorijs cognoſcendis, copioſe oſtendit Paulus Eberus in ſuo Calendario. Quàm uerò pertineat ad ſacram hiſtoriam, uel Ioſephus ſatis monſtrat, qui ſubinde menſes Ebræorum cum Græcis comparat. Sed tamen operæpreciũ eſt, unum aut alterum locum ſubijcere ex ſermonibus diui Epiphanij, defendentis Chriſtianam religionem, doctrinam & eccleſiam aduerſum hæreticos & paganos. Qui de morte Valentiniani Cæſaris ita ſcribit: Præfocatus eſt in palatio Idibus Maij pridie pentecoſtes, in die ſabbathi: elatus autem ipſo die pentecoſtes. Erat au-

tem tunc 21. dies menſis παχών pachon, iuxta Aegyptios: 23. Artemiſij, iuxta Græcos: ante 17. aũt Cal. Iunij, iuxta Romanos. Idem cõtra hæreſim ἀνοήτων & alogorum, qui negantes Dei uerbum incarnatum reſpiciebant euangelium ſecundum Ioannẽ & Apocalypſim, de CHRISTI natali & baptiſmo ita loquitur: Nato ipſo ante octauum Iduum Ianuarij, quæ eſt quinta Ianuarij dies ſecundum Romanos: ſecundum Aegyptios, 11. τυβί tybi: iuxta Syros, ſiue Græcos audynci αὐδυναίου ſexto: iuxta Cyprios, ſiue Salaminios, quinta die quinti menſis: iuxta Paphios, decimaquarta Iulij: iuxta Arabes, 21. ἀλέων alcon: iuxta Cappadoces, 15. ἀτάρτα: iux- Ebræos, 13. τιβιήθ tibieth: iuxta Athenienſes, ſexta μαιμακτηριῶνος memacterionis. Et reliqua. Eadem quoque diligentia enumerat menſes 10. & amplius populorum, loquens de baptiſmo CHRISTI principis. Quare ordine cõmemorabo menſes Aſianorũ, Afrorũ, et Europæorũ.

ASIANORVM MENSES.

PRincipio quidem uerba Alberti Pighij de ratione paſchalis celebritatis & reſtitutione Calendarij eccleſiaſtici, reddam. Notandum eſt tamen, inquit, quòd rationem ſolaris anni à Cæſare conſtituti cæteræ nationes, quæ Romano parebant imperio, imitari cœperunt.

Aegyptij

Aegyptij enim biſſextilem annum conſtituerũt, & menſes Rom. *inſtar cœperunt partiri, aliud tantum initium anni cõſtituentes: ut thoth cum ſeptẽbri omnino idem efficeretur, phaopbi cum octobre, athyr cum nouembri, & cæt.* Idem *ſecuti ſunt* Græci*: ut antiqua ſupputatio annorum & menſium, quæ fuit temporibus* Platonis, *Ariſtotelis,* Theophr*aſti, abierit in deſuetudinem,* Græcis *iam* Romano *more annos, menſes, et tempora ſupputantibus.* Hæc Pighius. Videmus *certè nomina Latina uſurpaſſe* Græcos, *Saracenos,* Germanos*, & alias nationes.* E*ſtq; ueriſimilimum,* Ebræos *ueterem menſium rationem mutaſſe imitatione ethnicorum.*

Ebræorum *menſes* Beda *cap. xi. de* Rerũ *nat. ex* Cyrillo *epiſcopo* Alexandrino *,* Anatolio, *& alijs antiquis patribus, eruditè explicat. Cuius uerba huc tranſcribenda eſſe iudicaui: appoſitis tamen* Ebraicis *uerbis, & notatis locis ſcripturæ ſanctæ.* Antiqui*, inquit, menſes ſuos non à ſolis, ſed à lunæ curſu computare ſolebant.* Vnde *quoties in ſcriptura ſancta, ſiue in lege, ſiue ante legem, quota die menſis quid factum dictúmue ſit, indicatur, non aliud quàm lunæ ætas ſignificatur: à qua ſemper* Ebræi*, quibus credita ſunt eloquia* Dei*, antiquo patrum more menſes obſeruare non ceſſant :* Primum *menſem nouo-* 1

rum אביב *abib*,Exo.13.Leuit 2.q paſchæ cære
monijs ſacratus eſt,Niſan ניסן Nehem.2.Eſth.
3.qui propter multiuagũ lunæ diſcurſum,nunc
in Martium menſem, nunc incidit in Aprilem,
nunc aliquot dies Maij menſis occupat. Sed re-
ctius Aprili deputatur. Quia ſemper in ipſo uel
incipit,uel deſinit,uel totus includitur. Ea dun-
taxat regula obſeruata,ut quæ 15. poſt æquino-
ctium luna extiterit,primũ ſequentis anni men-
ſem faciat: quæ uerò antea, nouiſſimum præce-
2 cedentis. ſicq; per ordinem. Secundus eorum
3 menſis Iar אייר,Maio.3.Reg.6.זיו.zin. Ter-
4 tius ſinan סיון Iunio. Quartus thamus תמוז
5 Iulio. Quintus ab אב Auguſto. Sextus Elul.
6 אלול Nehem 5. Septembri. Septimus the-
7 ſcri, uel thiſchri תשרי, Octobri. quem pro-
pter collectionem frugum, & celeberrimas in
ipſo feſtiuitates, nouũ annũ appellant.3. Reg.8.
8 איתנים menſis ethanim. Octauus mareſuan,ſi-
ue marhheſchuan מרחשון, nouembri, qui
9 3.Reg.6. בול bul. Nonus caſleu כסלו cisleu
10 Nehem.1. & 1. Machab.4. decembri. Decimus
11 tebeth טבת Eſth. 2. Ianuario. Vndecimus ſab-
12 bath שבט Zachar.1.Februario. Duodecimus
adar אדר Eſth.3.Martio,ſimili ratione compa
ratur. Quos uidelicet menſes propter lunæ cir-
culum,qui diebus 29.ſemis conſtat, tricenis un-
detricenisq;

detricenisq; diebus alternantes, ſecũdo demum uel tertio anno exacto, menſem ſuperfluum, qui ex annuis 11. epactarum diebus confici ſolet, intercalant. Notandum ſanè, quod nimium falluntur, qui menſem definiendum uel ab antiquis definitum, autumant, quamdiu luna zodiacum circulum peragat. Quæ nimirum, ſicut diligentior inquiſitio naturarũm edocuit, zodiacum quidem 27. diebus, & 8. horis: ſui uerò curſus ordinem 29. diebus, & horis 12. ſalua ſui ſaltus ratione conficit. Ideoq; rectius ita definiendum, quòd menſis lunæ ſit luminis lunaris circuitus, ac redintegratio de noua ad nouam: ſolaris autem menſis digreſsio ſit ſolis per duodecimam partem zodiaci id eſt, ſigniferi circuli. Quæ 30. diebus, & decem ſemis horis impletur: uiginti uidelicet duabus horis ac dimidia, lunari menſe productior. E' quibus 11. epactarum dies, & quadrans annuatim ſubcreſcere ſolent. Sed in utroque menſe computando conſuetudo, uel autoritas, uel certè compendium calculandi naturæ præualuit. Nam non ſolum lunæ menſes, quod calculandi neceſsitas cogit, tricenis undetricenisq; diebus ordinant: ſed & lunam ſuperfluam, quæ iuxta naturæ rationem in fine anni debuerat intercalari, pleriq; ubilibet intercalant. Et quod eſt grauius, tantum inter ſe cal-

 culatores

luſtrationum ſiue expiationũ dies, in Leuitico. Rationem intercalandi oſtendam in anni explicatione: & quomodo Ebræi mutarint exordiũ anni ac menſium.

A' Chaldæis et Aſſyrijs Ebræos mutuatos eſſe 12. nomina menſiũ, cõſtat. A' Chaldæis ad Aegyptios perueniſſe tum aſtronomiam, tum alias diſciplinas mathematicas, & quidem Abrahamo autore, quem aſtronomiæ peritiſſimum fuiſſe, itemq; patrem eius, Philo teſtatur, multi ſcripſerunt. An uerò Aegyptij acceperint initium anni & menſium à Chaldæis, quod aſtrologi obſeruarunt, ducentes calculum ab æquinoctio uerno: an quod Aegyptus uulgo ſeruauit, poſitum in æquinoctio autumnali, non poſſum pronunciare. Ptolemæus ſanè Macedonicos menſes uocat Chaldaicos: dieſq; indicat numeralibus nominibus. Macedonici uerò denominãtur à 12. ſignis, ut quibus Dionyſius mathematicus uſus eſt circa tempora Alexandri. Vt ſcorpion coniungatur thoth, Virginio Epiphi. Epiphanius quoque αὐδυναῖον Syrorũ menſem eſſe dicit, non Græcorum, aut Macedonum. Ebræi quidem menſium nomina ſuis accommodarunt: ut primus diceretur Niſan, qui nimirum Chaldæorum & Aſianorum primus fuit.

Perſas & Aegyptios eandem rationem anni

atque

atque menſium habuiſſe, aſtrologi tradũt. Nec eſt aliqua differentia inter Aegyptios & Perſas in anni quantitate, aut menſium partitione, aut principio anni: ait Pighius. Primus uocatur fordimech. Reliqua uerba omnia eãdem habent terminationem mech: præter quintum, qui uocatur marday. Vnde conijcio compoſitas eſſe uoces ex mech uel mah, & alia præpoſita uoce. Nam in Perſico Moſe uideo pro menſe redditum mahei, aut maha.

Indi menſes habuerunt 15. duntaxat dierum: ut 24. noſtrum annum explerent.

Arabes lunares annos obſeruarunt, 12. lunationibus annum unum perficientes, dierũ 354. & præterea horarum 8. minutiarum 48. regulariter intercalantes plerunque tertio, aliquando ſecũdo anno diem unum anno communi, pro horis & minutijs. In quibus lunationes 12. excedunt dies 354. Initium anni & menſis ſemper eſt à neomenia, aut luminarium media coniunctione. Et quia duæ lunationes perficiuntur diebus 59. menſes partiuntur, ut unus 30. dies, alter 29. alternatim habeat. Initium anni nullo certo aut ſtato anni tempore perpetuò conuenit: ſed almuharaz & anni principium poteſt incidere in uer, æſtatem, autumnum, aut hyemem. Vt ſi hoc anno initium menſis almuharaz conueniat

uenia‍t

ueniat cum initio Martij, tertio hinc anno incideret in principium Februarij. Hæc Albertus Pighius. Neque dubium eſt legenti aſtronomicas obſeruationes apud autores idoneos, quin Arabum menſes uagentur per omnes ſtatos menſes aliorum populorum. Epiphanius docet naſcente CHRISTO *Seruatore, 21. mẽſis* ἀλέωρ *diẽ fuiſſe 11.* τυβὶ *iuxta Aegyptios. 7. marhheſchuan, id eſt, octaui Ebræorum menſis: Ianuarij quintum diem. Qũ autem baptizaretur, fuiſſe 22:* ἀγγαθαλβαεὶθ*, iuxta Arabes: 12.* ἀθὺρ*, iuxta Aegyptios: iuxta Rom. ante ſextum Idus Nouemb. Menſes Arabum hodie quoque non parũ refert nouiſſe: ſiquidem Chriſtianis rebus aduerſantur Mahumedicæ inſtitutiones, quæ in Arabum hiſtorijs diſcendæ ſunt. In dialogo Mahumedis & Abdallæ, qui maximæ autoritatis eſt apud Saracenos, legitur in menſe Ramadan Moſem accepiſſe tabulas, Dauidẽ pſalteriũ,* CHRISTVM *natum, Enoch translatum eſſe in cœlos. Sæpe occurrit dulcheya, ſæpe rabe in Alcorano. Duo igitur genera menſiũ occurrũt apud Mauros, Arabas, Saracenos, & Turcas, id eſt Muſilmanos ſectatores Mahumedis. Alterum antiquæ obſeruationis, alterum acceptum à Romanorũ inſtitutis. Nam menſes Romanos agnoſcit uulgus etiã nominibus Latinis utens, quan-*

quam

quam deprauatis hoc modo. Ieunair, Ianuarius: Ibrair, Februarius: Marz, Martius: Aperil: Mio Maius: Iunio, Iulio: Agoch Auguſtus: Xetimbar, September: Ogtaber, October: Noamber: Duimbar, Decẽber. Alia nomina, quibus aſtronomi & eruditi utuntur, ſunt hæc: Almuharaz: ſaphar: rabe primus: rabe ſecundus: gemedi uel potius iumedi primus: iumedi ſecundus: rage: ſahaben: ramadan: Sauel: duchida: dulcheya uel dulchera.

Cappadocum ἀταρτοῦ 13. dies, ante octo Idus Ianuarij fuit, naſcente CHRISTO, Epiphanio teſte. Quem aſtronomi dicunt arthra. Cypriorum quinti menſis dies ſextus, ante 6. Idus Ianuarij. Quanquam inter Salaminios & Paphios, eiuſdem inſulæ colonos, aliquid differentiæ fuit.

AFRICANORVM MENSES.

De Mauris & Saracenicæ profeßionis hominibus iam dictum eſt. Sed de Aegyptiorum menſibus eſt paulo diligentius dicendum: à quibus Iulius Cæſar accepit rationẽ anni conſtituendi: quam aliæ quoque gentes ſecutæ ſunt, quoq; utuntur hodie Chriſtiani plerique. Antea dictum eſt, Ptolemæũ, & alios literatos homines, initium anni figere in ariete, in uerno æquinoctio: ſiue illud Abrahamus docuit, ſiue

aliunde hauſerunt. Valde probabile eſt, quum circa æquinoctium Deus liberauerit Iſraelitas ex tyrannide Pharaonis, Aegyptios autem diris plagis eo tempore affecerit, odio in gentem & religionem Iſraeliticam, & abominantes triſtiſsimos caſus, initium menſium tranſtuliſſe in æquinoctium autumnale. Quod Iudæi ſtolidè æmulati ſunt. Quia uerò multa eſt mentio Aegyptiorũ temporum nõ modò in libris aſtronomorum, & exteris hiſtorijs, ſed etiam in ſcriptis theologicis, promenda eſt eorum ratio maximè ex Beda: ſed additis nominibus Græcè ſcriptis, quibus Ptolemæus, & theologi Græci, ut Epiphanius, ſubinde utuntur. Aegyptij etenim, qui primi propter ocyorem lunæ diſcurſum, ne uidelicet error calculandi eius uelocitate gigneretur, ad ſolis curſum, cuius motus tardior facilius poterat comprehendi, ſuos menſes putare cœperunt, ſumpto ab autumni tempore primordio. Tricenis hos produntur includere diebus. Quorum primus menſis thoth θώθ, quarto Cal. Septembrium. Secundus phaoſi φαωφί, 4. Cal. Octob. Tertius athur ἀθὺρ, 5. Cal. Nouẽb. Quartus choeac χοιάκ, 7. Cal. Februariarũ. Quintus tybi τυβί, 6. Cal. Ianuariarũ. Sextus mechir μεχείρ, 6. Cal. Feb. Septimus Phamenoth φαμενώθ, 5. Cal. Mart. Octauus pharmuthi φαρμουθί, 6. Cal.

Cal. April. Nonus bacho παχών pachon, 6. Calend. Maij. Decimus pauni παυνί, 7. Cal. Iunij. Vndecimus epiphi ἐπιφί, 7. Cal. Iul. Duodecimus meſori μεσορή meſore, 8. Cal. Auguſtarum die ſumit exordium. Quem 10. Cal. Septembres die terminantes, reſiduos quinque dies ἐπαγομένας, uel intercalares ſiue additos uocant. Quib. etiã quarto anno diem ſextũ, qui ex quadrantibus confici ſolet, adnectunt. Vnde fit, ut eorum anni primi ab biſſexto tertio Cal. ſept. cæteri uerò 4. Cal. earundem dierũ initium ſumunt: ipſe autem biſſextilis anni 4. cæteri 5. Calend. memoratarum die terminentur. Ioſephus quoque nõ raro componit Aegyptios, Ebræos, & Græcos menſes.

EVROPAEORVM MENSES.

DE Atticis & Macedonicis menſibus non indiligenter ſcripſit Theodorus Gaza: quem plerique probant. Aliqui tamen carpunt, quòd exordium anni & menſium collocat in ſolſtitio æſtiuo, ut ἑκατομβαιών primus menſis reſpondeat Iunio, & ſic deinceps. Alb. Pighius conatur probare menſem primum Atticorũ fuiſſe in æquinoctio uernali, ex lib. 6. Ariſt. de Animalibus, loquentis de urſæ coitu & partu. Simplicius Ariſtot. interpres cum Gaza facit, & eruditi plerique. Epiphanius ita connectit, ut ante

Ante 8. Idus Ianuar. iungat ſexto diei αὐδυναίου Macedonici menſis, & μεμακτηριῶνος Attici. Ante 6.Id.Nouemb.16.diei ἀπελλαίου Maced.8. διου Attici. Ante 17. Cal.Iunij 23.diei ἀρτεμισίου. De Græcis antea ex Cenſorino annotaui, pleroſque annum ciuilem ad lunæ curſum direxiſſe. Et ſi uerò diligenter menſiũ collationem fecere Gaza, & Paulus Eberus: utile tamen eſt, ut poſteris temporibus ad Rom. menſes deflexerint, ex Beda cognoſcere. Qui cap.14. de Rerũ nat. ſic ſcribit: Græci, mutatis ex tẽpore, & correctis prædictarũ intercalationum ambagibus, cunctis fixum in 12. menſibus anni uertentis ordinauere circulum. Quorum plerique à Calendis Decembribus ſuũ inchoãtes annum, eodem quo Romani menſes ſuos dierum numero perſtringunt, nil quidem de Rom. Calendis, Nonis, uel Idibus curantes, ſed à primo uſque ad extremum diem, augeſcente paulatim numero, ſingulum quemque menſem computantes. Vocatur autẽ apud eos ipſe December ἐλαφηβολιών, Ianuarius μουνυχιών, Februarius θαργηλιών, Martius δύστρος, Aprilis ξανθικός, Maius ἀρτεμίσιος, Iunius δέσιος, Iulius πανέμος, Auguſtus λῶος, Septẽber γορπιαῖος, October ὑπερβερεταῖος, Nouember δῖος. Quo illos ordine annũ obſeruare uel menſes, & nuper tranſmiſſus ad nos de Ro-

ma computus eorum annalis oſtendit. Et cano-nes qui dicuntur apoſtolorum, idem antiquioribus literis edocuere. Vbi 12. dies menſis ὑπερ-βερεταίου, 4. Iduū Octob. eſſe memoratur. Quo utique colligitur, utrumque menſem pariter incipere, qui uterque diē 12. habere probatur eundem. Quibus etiam liber ſancti patris Anatolij, quem de Paſcha compoſuit, adſtipulatur. Vbi ſcriptum eſt: Eſt ergo in primo anno initiū primi menſis, quod eſt 19. annorum circuli principium: ſecundum Aegyptios quidem menſis phamenoth 26. die, ſecundū Macedones dyſtri menſis 22. ſecundum Romanos uerò 11. Cal. Aprilis. Hæc Beda. Miſcentur quidem Atticorum & Macedonicorum menſiū nomina. Dies menſium ueteres Græci diſtribuerunt in tres partes, ut Rom. in Nonas, Idus, & Calendas. Vt decem primi dies ita notarentur, πρώτη ἱϛαμένου, δευτέρα ἱϛαμένου. & deinceps ſimiliter. Poſtea 10. hoc modo: πρώτη ἐπὶ δέκα, & ſimiliter uſque ad 20. Poſtea ἐνδεκάτη φθίνοντος uel πρώτη, καὶ εἰκάδα, & deinceps uſque ad ultimā, quæ dicebatur ἕνη καὶ νέα. Vti Ariſtophanis & Heſiodi interpretes, ſed & Pollux, & alij docent. Fuerunt & alia dierum nomina ex aliquo euentu: ſicut Halcyonij dies dicti ſunt, et Theſmophoria, & Myſteria. Porrò Latina menſium nomina Græ-

na Græcis literis perſcripſit Damaſcenus 2.*li-
bro*, & *Suidas*, & *alij, qui alicubi diſsident in
orthographia.*

In Latio *Albani Martium fecerunt* 36. *die-
rum*: Maium 12. *Sextilem* 28. *Septembrem* 16.
Tuſculani Quintilem 36. *dierum*: Octobrem 32.
Aricini uerò 39. *dierũ fecerunt* Octobrem, *teſte
Cenſorino*. Romæ *quoq; ab origine urbis uſq;* Iu
lium Cæſarẽ *per annos circiter* 700. *magna fuit
anni confuſio, ut docet Suetonius, Liuius, Plutar
chus*, & Macrobius 1. *Saturnal. libro*. Quã *rem
ſummatim hic perſtrinxiſſe, ſat erit*. Quum Ro-
mulus, gentis conditor, annũ ordinaſſet 10. *men
ſium, quorum primus* Martius *fuit*, Numa *rex
aliqua doctrina* Græcorum *inſtructus, compo-
ſuit annum ex* 12. *menſibus, adiecto* Ianuario &
Februario. *Eum numerum menſium retinue-
runt: anni principium mutatum eſt aliquoties.*
Namque Romulus *menſium caput ac anni con-
ſtituit in æquinoctio uerno: ſed* Numa Pompi-
lius in bruma. Conſulum annos duxerunt à Cal.
*Auguſti: indictiones ab autumnali tempore, pu
ta* 8. Cal. Octob. *Annos ab urbe condita, ex die
Palilium, qui eſt* 11. Cal. Maij. *Nomina menſium
quædam ex ordine impoſita ſunt, ut* Quintilis,
October: *quidam à dijs, et principibus, quos per
aſſentationem inter* Deos *collocabant, nomina*

 inue-

inuenerunt. Vnus Aprilis, *in quo* Paſchatis *anniuerſaria memoria peragitur, iuſtiſsimè auſpicatiſsimeq́; dictus eſt à uiris ſanctis menſis* Dominicus*:in quo mundi architectus, & ſeruator, morte uicta ſalutem æternam hominibus impetrauit.* Religio *igitur, & ſana ratio, potius à* Domino Ieſu Dominicũ *dixere, quàm* Aprilem *ab aperiẽdo, aut ab aphrodite: aut à* Nerone, Neroneũ. *Varia nomina menſiũ enumerabò, id prius admouens, quod* Macrobius *&* Cenſorinus *tradidere.* Multi *principes nomina quædã mẽſium mutauere ſuis nũcupãdo nominibus.* Quod *aut ipſi poſtmodũ mutauerũt, aut poſt obitum eorũ illa nomina priſtina ſuis reddita ſunt menſibus.*

Sunt igitur Romani *menſes* 12. *Primus* Ianuarius. 2. *Februarius, menſis intercalarius.* 3. *Martius.* 4. Aprilis, Neroneus, Dominicus. 5. Maius, Oſcè *meſius,* Claudius. 6. Iunius, Iunonius, Germanicus. 7. Quintilis, Iulius. 8. *Sextilis, Auguſtus,* Commodus. 9. *September, Germanicus,* Tacitus. Hercules. Tiberius. 10. October, Domitianus, Liuius, Inuictus. 11. Nouember, Exuperatorius. 12. December, Amazonius.

Dies *in* Calendas, Nonas *&* Idus *diſtribuit primus* Romulus. *Inuenerunt tamen dies & alia nomina: ut dies intercalaris dictus eſt: ut bruma, ut tubiluſtrum, quinquatrus, dies* Allienſis,

lienſis, & alia, quæ in faſtis explicari ſolent.

Germani hodie Romanum à Iulio & Augu-ſto emendatum annum ſeruant, ac 12. nomina menſium Latina retinent, modicè deflexa in ſonum Teutonicæ linguæ. Extant & Caroli Magni Cæſaris nomina impoſita menſibus, niſi fortè antiqua reuocauit. Quin etiam in antiquiſsimis Faſtis eccleſiaſticis reperi nomina menſiũ, quæ à ſuperſtitione longius abſunt, quàm Romana. Ea uiſum eſt huc diſtincte apponere.

MENSIVM NOMINA.

Caroli Magni.	*Faſtorũ Veterũ.*	*Neoterica.*
Vuintermonat	Ingende Iar	Ienner
Hornung	Redmonat	Hornung
Lencinmonat uel	Merze	Mertz
glentzmonat	Aberelle	Aprel
Oſtermonat		
Vuunnemonat	Meye	Mey
Brachmonat	Brachot	Brachmonat
Heuumonat	Houuat	Houumonat
Brndmonat	Ougſt	Ougſtmonat
Vueinmonat	erſt Herbſt	Herbſtmonat
Herbſtmonat	ander Herbſt	Vuynmonat
	dritte Herbſt	Vuintermonat
Hilicmonat uel	Vuintermonat	Vuolffmonat
Heiligmonat	uel Chriſtmonat	

Nomina diebus obuenere ex ordine, ut apud Ebræos, & Aegyptios. Plurimos tamen Germa

ni à re quapiã memorabili denominant. ut Natalem Domini, *Circuncißionem*, Epiphaniam, *Aſcenſionẽ* Domini,*&* alios,*more* Chriſtiano.

ANNVS, ET EIVS PARTES.

PRimum *anni incipientis diem lætis precationibus inuicem fauſtum, ex more uetuſto, & ſine omni ſuperſtitione hodie quoque ominamur* Chriſtiani. *Tamen in conſtituendo anno mira cernitur uarietas inter* populos.*Annum enim alij æſtate unum determinabant & alterum hyeme : alij quadripartitis temporibus,ſicut* Arcades,*quorum anni trimeſtres fuere:quidam lunæ ſenio,ut* Aegyptij.*Itaque apud eos aliqui & ſingula milia annorũ uixiſſe produntur.* Hæc Plinius,*libro* 7. *Plura etiam* Cenſorinus,*&* Macrobius 1.*Saturn. libro, &* 2.*lib. de* Somnio Scipionis.*Annũ* Ebræi *dicunt* שׁנה *ſchanach, à uertendo & iterando.* Quomodo Atteius Capito *exiſtimauit annũ dictũ à circuitu temporis, quod an circũ ſignificet, ut ambio, id eſt circumeo,componitur.Id quod etiam* Varroni *placuit, eo quòd magni circuli dicerentur circites anni : ut parui circuli, annuli. Sext.* Pompe.*dicit ex* Græca ἐνιαυτὸς *uenire.* Quam *etymoligiam* Epiphanius *promit,quòd in ſe redeat atque reflectatur.* Propius *conuenit* ἔννος. Annus *quidem, ut menſes & dies,diuiditur.* Eſt

enim

enim alius naturalis, alius ciuilis annus: & rurſum naturalis aut ſolaris, aut lunaris: ciuilis autem uel uertens, uel mundanus, & magnus annus. De quibus ordine dicemus. *Quanquã Cenſorinus ait: Vertẽs annus eſt natura, dũ ſol percurrens 12. ſigna, eódẽ unde profectus eſt, redit.*

Solarem annum eſſe metiendum ad aliquod fixum punctum obliqui circuli, ueluti primum punctum arietis, aut aliud, Ptolemæus docet libro 3. Almageſti. ac definit annuũ tempus, motum ſolis, ab aliquo circuli obliqui uel zodiaci puncto immobili ad ſequentia, uel ſecundum ſucceſsionem ſignorum, donec ad ipſum idem redierit. Quod ſpacium definit 365. diebus, addita quarta unius diei, aut paulo minus, parte uidelicet diei trecẽteſima, ut antea in motu ſolis indicatum eſt. Id confirmat Plinius lib. 2. cap. 8. dicens ſolis meatũ eſſe partium quidem trecentarum ſexaginta: ſed ut obſeruatio umbrarũ eius redeat ad notas, quinos annis dies adijci, ſuperq́; quartam partem diei. Quam ob cauſam quinto anno unus intercalaris dies additur, ut temporum ratio ſolis itineri cõgruat. Cæterùm in hoc conueniunt omnes, ut illam notam conſtituant, uel æquinoctij alterius, uel ſolſtitij alterius punctum. Annum ſolarem etiam ciuilem dicit Beda. Quanquam eſt aliqua differentia. Solaris

annus aliàs eſt cõmunis, aliàs biſſextilis aut intercalaris dierũ 366. quem Græci ἐμβολιμαῖον dicunt. Itidem, Lunaris annus uel eſt communis & ſimplex, uel intercalaris. Nam quũ die quarta in primordio rerum ſol & luna, cæteræq; ſtellæ producerentur, & luna quidem plena, iã anteuerterat ſolem diebus 11. & quadrante. Hinc opus eſt, ut ad ſolis & lunæ motum æquãdum intercalares menſes 30. dierum, uel tertio, uel ſecundo anno adijciantur. Lunaris annus eſt, qui ad rationem lunaris motus dirigitur. Qui multiplex eſt, ut docet Beda cap. 35. de Na. rer. Primus eſt namq;, cum luna 27. diebus, & 8. horis zodiacũ percurrens, ad id ſignũ ex quo egreſſa eſt, reuertitur. Secundus dieb. 2. horis 4. prolixior, qui conſuetè menſis dicitur, cũ ſolem à quo noua digreſſa eſt, 29. diebus, horis 12. exactis, iã defecta repetit. Tertius, qui 12. menſib. huiuſmodi, id eſt diebus 354. expletur. Et uocatur communis, eo q, duo ſæpiſsimè tales pariter currant. Quartus ἐμβόλισμος Græcè dicitur, id eſt ſuperaugmentum. Et habet menſes 13. id eſt dies 384. Vterq; apud Ebræos à principio menſis paſchalis incipit, ibidemq́; finitur. Apud Romanos uerò ab incipiente luna menſis Ianuarij ſumit initium, ibiq́; terminatur. Annus ciuilis eſt, quem ſibi quæq; ciuitas & populus conſtituit. ut

Siculi

Siculi ex ſolari & lunari anno ſibi conſtituerunt annum, teſte Cicerone Chaldæi menſtruum annum aliquando habuerunt, ut ſcribit Diodorus. Aegyptij quoque menſtrum annum & bimeſtrem habuerunt: Arcades trimeſtrem, Cares ſemeſtrem. Primi Rom. 10. menſium, atque idem annum uertentem habuerunt 22. menſiũ. Ea uarietas eueniſſe uidetur ex obſeruatione planetarum ſeptem, qui diſpares habent motus: ut ſingulorum motus, aut inter ſe compoſiti haberentur pro annis. Omnibus tamen gentibus fuit propoſitum, ſuos ciuiles annos uariè intercalandis menſibus ad unum uerum illum naturalemq; corrigere: ait Cẽſorinus. De anno uertente atque magno dicam ordine, ſi prius naturalis anni partes expediuero. Vbi non eſt admonendum multis, ut menſes ſint partes anni. Quatuor mutationes anni exprimũtur his uerbis à beato Moſe Geneſ. 8. cap. Domino exercituum promittente poſt diluuium: Nequaquam maledicam terræ ultrà propter hominẽ. Cũctis diebus terræ ſementis et meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent. Quæ aſtronomi & phyſici plerique explicant, doctiſſimè uerò Plinius 18. lib. cap. 25. Naturalis hiſtoriæ. Cardo, inquit, temporum quadripartita anni diſtinctione conſtat per incrementa

lucis. Augetur hæc à bruma, & æquatur noctibus uerno æquinoctio diebus 90. horis tribus. Deinde ſuperat noctes ad ſolſtitium diebus 93. horis 12. uſque ad æquinoctiũ autumni. Et tum æquata die procedit ex eo ad brumam diebus 89. horis tribus. Horæ nunc in omni acceſsione æquinoctiales non cuiuſcunque diei ſignificantur. Omneſq; eæ differentiæ fiunt in octauis partibus ſignorũ: bruma capricorni ab 8. Cal. Ianuarij ferè: æquinoctium uernũ arietis, ſolſtitiũ cãcri, alterũq; æquinoctiũ libræ. Et cætera deinceps. Has anni uices Iudæi uocãt, תקופות cõuerſiones. Dan. 4. עדנית idanita tempora ſeptẽ ſignificãtur, nõ utiq; anni, ut multi opinantur, ſed uices temporũ, quales in anno quatuor.

CIVILIS ANNVS EBR.

Hiſtoria ſacra, qua nihil in mundo extat antiquius, nihil certius, arguit ſatis, Ebræos habuiſſe annũ quidem lunarẽ, ſed tamen ad ſolis etiã curſum directũ. Quod theologi diligenter in ea re uerſati confirmant, Beda, Dionyſius, Auguſtinus, Anatolius, Cyrillus, Epiphanius, Theophilus & alij: aduocatis interim teſtimonijs Philonis, Ioſephi, Ariſtobuli, & Agathobuli, principum uirorum inter Ebræos. Initium anni fuit, quod & mundi ad æquinoctium uernum. Quod tamen poſteritas immutauit Iudæo-

rum: apud quos iam olim, ut Epiphanius indicat, omnia collapſa ſunt. Ratio intercalandi ab ipſo Epiphanio, peritiſsimo rerũ Ebraicarum, exponitur copioſe in ſermone cõtra Alogianos. Breuiter autem abſoluit rem Hieronymus uerbis Iulij Africani Chronographi, diſſerens de ſeptimanis Danielis, cap. 9. A' uiceſimo anno Artaxerxis regis uſque ad CRISTVM cõplentur hebdomadæ 70. iuxta lunarem Ebræorum ſupputationem: qui menſes non iuxta ſolis, ſed iuxta lunæ curſum numerant. Et paulo pòſt: Lunares menſes ſecundum illorum ſupputationem poſſũt facere dies uigintinouem & ſemis. Ita ut ſolis circulus per annos 490. plus habeat dies 365. & quartam diei partem, & per 12. menſes ſingulorũ annorum 11. dies, & quarta diei pars amplius reperiatur. Vnde Græci & Iudæi per octo annos trium menſium ἐμβολισμοὺς faciunt. Et reliqua. Epiphanius per ſingulos annos rem deducit: in hoc tamẽ diſſidens ab alijs, quòd tres horas pro ſex ponit, quæ diebus anni ſunt adijciendæ. Quum annus iuxta motum ſolarẽ compleatur in 365. diebus & horis tribus, contingit propterea, quòd luna facit annum in 354. diebus. ut deficiant curſui ſecundum lunam dies 11. horæ tres. Et primo quidem anno fiunt epactæ appellatæ, hoc eſt, dies adactitij 11. & horæ tres.

Secun-

Secundo anno dies 22. horæ ſex. Tertio anno dies 33. horæ nouem. Et *ſecatur unus menſis, intercalaris appellatus.* Intercalantur *enim* 30. *dies.* Relinquuntur *autem dies tres, horæ nouē.* Et *mox:* Atque *ſic per octennij circuitum intercalātur dies nonaginta, qui ſunt pleniſſimi menſes intercalares tres.* Et *fit in primis tribus annis menſis unus, & ſequentibus tribus menſis alter, & in duobus poſterioribus annis menſis unus.* In *his trium intercalarium menſium conſtitutionibus diſcordantia eſt circa paſcha apud Iudæos, & Chriſtianos, & alios.* Hactenus Epiphanius. *Porrò qualis ſit hodie obſeruatio apud Iudæos, licet cognoſcere ex Calend.* Ebraico.

Præterea initium anni aliud cōſtituerunt in autūnali æquinoctio, primūq; menſem thiſchri, à quo deducunt ſeptimanum annorum, & iubileos. Vnde notas petunt temporis in prophanis rebus. Eſtq; uulgaris perſuaſio Iudæorum, antequam ex Aegypto *liberarentur, id fuiſſe anni primordium.* Quam *opinionem recitat* Dauid Kimhi, *dum exponit, cur mēſis octauus dicatur* איתנים *ethanim.* Tunc *enim & diluuiū fuiſſe dicunt: & mundum eſſe conditum eo tempore, ut* Rabi Eliezer *Thalmudicus doctor aſſerit, habetq; plurimos adſtipulatores.* Quin *theologorum noſtrorum quidam mundum fuiſſe conditum*

tum in autumno dictitant. Multo autem credibilius eſt, & Aegyptios ipſos mutaſſe uetus initium anni: & Iudæos inde conſuetudinem accepiſſe, Macedonibus imperitantibus in Aegypto & Syria. Nam & ipſi Iudæi fatentur Alexandrum eis æram, ſic enim uocãt inſigne aliquod initium rerum memorabilium aſſignaſſe, quam obſeruarent in publicis & priuatis tabulis conſignandis. De anni principio autumnali Hieronymus, Ezech. 1. menſe quarto, qui apud nos uocatur Ianuarius, & eſt in anni primus exordio: præter Niſan menſem nouorum, in quo Paſcha celebratum. Apud orientales enim populos poſt collectionem frugum & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus menſis, & Ianuarius quartus. Quin uerò quatuor exordia anni præſcribit Thalmud parte מועד *moed, tractatu octauo, caput anni roſch haſchana.*

AEGYPTIORVM ANnus ciuilis.

ERuditi Aegyptiorum uelut in ſchola Alexandriæ tum alijs doctrinis, tum mathematicis florentiſſima, retinuerunt initium anni haud dubiè à patriarchis traditum. Apud uulgus tamen ob clades illatas, quum Iſraelitæ liberarentur, ut credibile eſt, ad autumnũ fuit tranſlatum.

latum. Eorum *annus habuit menſes* 12.*triginta dierum*, & *dies in ſumma* 365. *ſine intercalari die.* Tandem *uerò exemplo* Romanorum, *uel potius* Ebræorum, *quinto quoque anno diem intercalantes, annum ſolarem atque lunarẽ conciliarunt.* De *quibus ſatis dictum eſt antea in menſibus.* Dies *notant, ut* Ptolemæus, *ordinalibus nominibus.*

GRAECORVM CIVILIS annus.

ANnum *perfici* 12 *menſibus*, & *accommodari annũ ciuilem motui lunari, ex inſtitutione* Ebraica *manauit.* Nouum *tamen exordium anni* Græci *ſibi conſtituerunt.* Quod *tertio quoque anno menſem intercalarem adiecerũt, ut* Herodotus *ſcribit in* Euterpe. *id quoque fecerunt imitatione* Iſraelitarum. Multis *exponit* Cẽſorinus *cap.* 15. *ut ueteres* Græci *intercalarint*, & Macrobius, & Gaza. Docet *autem* Gaza, *ut congruant rationes hodie* Græcorum & Latinorum, *non modò unum diem incalarem quarto quoque anno adijciendum eſſe, uerumetiam unum diem exemptilem poſt ducentos fermè annos detrahendum eſſe.* Id *ſanè probat calculus aſtronomorum, ſi exactè curſus ſiderum ſolis* & *lunæ indagetur, quem ex aſtrologica doctrina prius appoſuimus.*

De Latinorũ anno ciuili eſt diligentius nunc explicandum, quem in ſacris & prophanis rebus hodie ſeruamus. Multis quidem Macrobius anni ordinationem à Romulo uſque ad Auguſtum deſcribit. Ego per ſummam rei ibo. Quum intercalarium menſem alternis annis addi placuiſſet Romanis, ut ciuilis annus ad naturalem exæquaretur, in menſe potiſſimũ Februario inter Terminalia & Regifugium intercalatũ eſt. Idq́; diu factum, priuſquam ſentiretur annes ciuiles aliquanto naturalibus eſſe maiores. Quod delictum ut corrigeretur, pontificibus datũ eſt negocium, eorumq; arbitrio intercalandi ratio permiſſa. Hi autem affectibus priuatis occupati, plus minus'ue ex libidine intercalando rem ſibi ad corrigendum mandatam uitioſe deprauarunt. Igitur C. Iulius Cæſar pontifex max. tertio ſuo conſulatu, collega M. Aemylio Lepido, anno ab urbe condita 708. adiutus Soſigene mathematico, & M. Fauio ſcriba, nouam ordinationem aggreſſus eſt, ut retro delictum corrigeret. Primò quidem dies omnes, qui confuſionem párere poſſent 69. in Nouembrem & Decembrem concluſit: fecitq; ultimum annum confuſionis dierum 445. ſimul prouidens in futurum, ne iterum erraretur. Nam intercalario menſe ſublato, ciuilem annum, Aegyptios imitatus,

tatus, ad ſolis curſum formauit, qui diebus 365. & quadrante curſum conficit. Deinde pro quadrante dici, qui annum uerum ſuppleturus uidebatur, inſtituit, ut peracto quadriennij circuitu, dies unus poſt Terminalia, ubi quondam menſis ſolebat, intercalaretur. Quod nunc biſſextũ uocatur, quia 6. Cal. bis ponitur. Ex hoc anno ita à Iulio ordinato, cæteri ad noſtram memoriam, ait Cenſorinus, Iuliani appellantur, ijq; conſurgunt ex 4. Cæſaris conſulatu. qui etiamſi non ſunt optimi, ſoli tamen ad annum naturæ aptati ſunt.

Hunc annum ciuilem Cæſar habitis ad lunam quoque dimenſionibus conſtitutum, edicto palàm poſito, publicauit. Id factum eſt anno ab urbe cõdita 709. ante CHRISTI natalem 44. uel 45. ſi annum comprehendas, quo Dominus eſt natus. Quando primo Ianuarij die, qui fuit feria ſexta, coniunctio ſolis & lunæ fuit ſecundum medium motum ad Romæ obſeruationem poſt medium noctis hora 18. minut. 44. ſecund. 55 ſecundum uerum motum coniunctio fuit hora una, minutis 50. poſt mediam noctem inter diem Veneris & ſabbathi diem.

Ad hoc principiũ anni Iuliani, refertur anni biſſextilis ratio, & cyclus lunæ & aureus numerus, & cyclus ſolis, quorum notitia ſeruit ferijs ob-

rijs obſeruandis, tam ijs quæ immobiles & ſtatæ ſunt: ut, Natalis Domini, Circumciſio, Epiphania: quàm quæ mobiles ſunt, ut Paſcha & Quadrageſima, et Pẽtecoſte, et aliæ. Res quæ nõ paruas ſæpe tragœdias mouit in eccleſia, & cui uiri excellentes ingenium ſuum pro utilitatibus eccleſiæ impenderunt. Imperitis autem rerum cœleſtium & aſtronomiæ atq; hiſtoriæ ſuccurrunt hodie Calendaria, quæ in ſingulos annos iſtarum rerum indicium faciunt. Tamen ne prorſus ſilentio prætercam ea, quæ ad rationem temporis pertinent, dicam de illis etiam in explicatione anni magni.

ANNVS MAGNVS.

Cenſorinus cap. 15. de annis maioribus ita ſcribit: Eorum magnitudo adeò diuerſa etiam gentibus obſeruata, quàm autoribus tradita eſt. Vt alij unum annum magnum eſſe in annis uertentibus duobus, alij in multis millibus annorum arbitrati ſunt. Eius propriũ eſſe uult, ut ex annis uertentibus ſolidis conſtet. Diſcrepantiam uerò aßignat ignorantiæ aſtrologorum, qui nondum potuerint ad certum reperire, quanto uel ſol plus quàm trecentos ſexagintaquinq; dies in anno conficiat, uel luna quàm triginta minus in mẽſe. Vnde colligere licet, annos magnos & mundanos excogitatos fuiſſe ad

componendos inter ſe motus ſiderum, maximè ſolis & lunæ. Quomodo Ebræi circulum octo annorũ olim obſeruarunt, ſed & 19. annorum, & 247. annorum cyclum maiorem, qui 13. lunares cõtinet. Eccleſia uerò cyclum lunarem & ſolarem, & cyclum magnum, qui ex utroque componitur, obſeruat.

Penteteridas maximè notandas temporibus Græci obſeruarunt, teſte Cenſorino, id eſt quaternorum annorum circumitus. Hinc agon in Elide Ioui Olympio, & Romæ Ioui Capitolino quinto quoque anno redeunte celebrabatur.

De Olympiadibus ita ſcriptum eſt in chronicis Euſebij: Helij agũt quinquennale certamen, quatuor annis in medio expletis. In quibus principes annui conſtituũtur quatuor. Quam Olympiadem Iphitus, filius Praxonidis ſiue Hæmonis, primus conſtituit. Ab hoc tempore Græca de temporibus hiſtoria uera creditur. Nam ante hoc tempus, ut cuique uiſum eſt, diuerſas ſententias protulerunt. Quod ſumptum eſt ex Diodoro Siculo & Varrone, qui dicunt tempora præcedentia notationem Olympiadum fabuloſa & incerta eſſe. Inde ſequi tempus hiſtoricum, quo res geſtæ ueris hiſtorijs cõtinentur. Quomodo principium Olympiadum aptandum ſit hiſtoriæ ſacræ, dicetur inferius in capite de certa ratio-

in ratione temporum. Initium fuit in æſtate, ut anni quoque initium fuit ad ſolſtitium æſtiuum. Quanquam Alphonſus apponit æquinoctio autumnali.

Luſtrum Romanorum annis par eſt Olympiadi, ut Cenſorinus docet, inquiens: Idem tēpus anni magni Romanis fuit, quod luſtrum appellabant: ita quidem à Seruio Tullio inſtitutum, ut quinto quoque anno cenſu ciuium habito, luſtrum cōderetur. De hoc Titus Liuius 1. decad. libro 1. & M. Varro.

Septimanas annorum Deus tradidit ſuo populo per Moſen. Vt enim dierum hebdomades, & ſeptimanarum hebdomades, et menſium hebdomades, ita etiam annorum inſtituit hebdomades: ut ſeptimo quoque anno terra interquieſceret, ac ſuum quoddam ageret ſabbathū: hominesq; à laboribus ſeruilibus uacui, diuinæ rei ſeſe totos impēderent, agerentq; ſynodos & pios cōuentus, atq; inter ſe philoſophiā ſacram exercerent. Is annus Ebraicè dicitur שמטה intermiſsio, uel annus intermiſsionis. A Græcis theologis ἀργὸς ἐνιαυτός. De cuius inſtitutione Moſes loquitur Leuit. 25. Deut. 15. Sed & Daniel polyhiſtor eccleſiæ tēpus aduenientis Chriſti ſeptimanis 70. annorum uidelicet ſeptimanis definit: quas licebit appellare heptaeteridas.

Octoeteridas fecerunt Græci, duplicato anno magno, qui ex quatuor uertentibus annis cõstabat, qui tantum ad ſolis curſum, non etiam ad lunæ curſum congruere uidebatur. Vt que eum Ebræi obſeruarint intercalando, prius eſt dictum. Hoc anno Delphis celebrabantur Pythia. Indictionem 11. Epiphanius eſſe dicit anno 60. à morte imperatoris Gratiani, in ſermone Ancorato. Ioannes de Sacro buſto in Computo ſuo, indictionem admonet eſſe uocem æquiuocam, ut quæ & totũ cyclum, & quemlibet eius annũ ſignificet. Sic autem definit: Eſt ſpacium 15. annorum ad recipienda ab extraneis tributa inſtitutum. Beda cap. 47. de Natura rerum, eandem quantitatem, ſed rationem diuerſam, aſsignat, inquiens: Indictiones 15. annorum circuitu in ſua ſemper ueſtigia reduces, antiqua Romanorum induſtria comperimus ad cauendum errorem, qui de temporibus oboriri fortè poterat inſtitutas. Vt uerbi gratia, ne idem annũs ultimus uidelicet principis decedentis, primus autem ſuccedentis, bis poſitus rationem temporum conturbaret. Idem Beda hoc etiam addit: Quidam putãt ad iudicium terræ luſtrationis & cenſus eſſe conditas. Incipiunt autem indictiones Rom. principium ab 8. Cal. Octobris, ibidemq; terminãtur. Eſtq; CHRISTVS

natus

natus, autore Dionyſio abbate Rom. indictione quarta, hoc eſt, quarto anno primæ indictionis. Proinde inueſtigaturus, quotus ſit annus indictionis hoc anno præſenti, adijce ad annos poſt CHRISTI natalem tres annos exactos iam, antequam Chriſtus naſceretur. Id uniuerſum diſtribue in 15. Et qui redundat numerus, eſt numerus indictionis. Si nihil ſuperſit, 15. pro indictionis numero habeto. Anno igitur à Chriſto nato 1550. adiectis 3. ſi uniuerſum partiaris, 8. ſupererunt. Porrò indictiones Rom. pontificum, quas annotant in cereis paſchalibus, in dedicatione templorum, & in priuilegijs, incipiunt à natali Chriſti.

Decaenneaterida inſtituit Athenis Meton ex annis undeuiginti: quem annum magnũ Metonicum uocarũt. Eccleſia uerò cyclum decem nouennalem obſeruat etiam ex decreto ſynodi Nicenæ multas ob cauſas, quas Beda indicat 43. cap. & ſequentibus. Eſtq; reuolutio 19. annorũ ſolarium, qua luna redit ad eundem anni ſolis diem: quare cyclus lunaris non ineptè dicitur, & paſchalis, quòd uerũ paſchæ diem monſtrat: & numerus aureus, quòd eum acceptũ à Chaldæis Romani aureis literis ob uſum eximium in Calendarijs notarint. tametſi differentia quædam eſt, quòd non ab una eademq; die incipiũt.

Quum autem Græci calculatores à Docletiani annis deriuarent, Dionyſius abbas circa 532. annum ſalutis, ut aboleret memoriã principis impij & perſecutor s, è faſtis eccleſiæ, adnexuit eius principium incarnationi Dominicæ: adiecto tamen anno, eo quòd iam annus ex 19. illis Domino incarnato exactus eſſet: quia in fine anni 42. Auguſti natus eſt. Promptiſsimè igitur numerum aureum aſſequeris, ſi ad annos Chriſti adijcias unum, idq; diuidas per 19. Vt exempli gratia ad 1550. adijce unum. Id totum partire in 19. aureus numerus & lunaris cyclus erit 12. Ceterùm quia intra circulum 19. annorũ luna ſua uelocitate anteuertit ſolẽ hora 1. minutis 28. ſecũdis 3. excogitatus eſt dies exemptilis, quem ſaltum lunæ uocãt, ut detrahatur uni menſiũ. Quod Beda cap. 41. aptè fieri cenſet 12. Cal. Apriles, quando eſt mundi principium. Aliqui æmulati Aegyptios, Iulio detrahunt eum diem. Alioqui enim fieret per cyclos 15. ut luna prima æſtimaretur, quæ decimaquinta eſset. Omitto inueſtigationem epactarum ex aureo numero, & regularem lunæ numerum, quibus deprehenditur, quota ſit lunæ dies: itemq; numerum clauium, ferijs mobilibus aptatum. Quæ ad faſtos pertinent.

Cyclus ſolaris uicenis octoniſq; conſummatur

annis.

annis, ut Beda indicat cap. 64. Abſoluitur enim, quum annus biſſextilis ſepties recurrerit. Quum enim annus ſolaris habeat dies 365. & quadrantem, ſi eum numerum diuiſeris per ſeptem, quot uidelicet ſunt dies hebdomadis, fient 52. ſeptimanæ, & dies unus cum quadrãte. Hinc Dominicus dies, & feriæ ſtatæ: alioqui promouentur quotannis per unum diem, & anno intercalario per duos. Ad eam rem dirigendã inſtitutus eſt circulus ſolis. Quem facilè deprehendes, ſi ad annum præſentem adijcias nouem, idq́; uniuerſum diſtribuas per 28. Nam ſi ad 1550. adijcias 9. idq́; totũ partiaris in 28. fient 48. reſidua numerus circuli ſolaris. Fuit autem naſcente Ieſu Chriſto litera Dominalis B. Anno Tiberij decimoquinto, quum baptiſaretur Dominus, ingreſſus annum ætatis 30. litera Dominalis, uel diei ſolaris A. ſequenti anno G. tum F. E. biſſextilis. Quum ageret annum 32. menſes 3. dies 10. ut Io. Lucidus annotauit. nec multum diſsidet Epiphanius (quanquam Origenes in comment. Ioſuæ, tribus annis cum dimidio prædicaſſe dicit, quod aliqui probant) anno 18. Tiberij litera Dominalis fuit D. cyclus ſolaris 15. & luna prima menſis primi die 20. Martij, luna decimaquinta tertio die Aprilis, dum CHRISTVS pateretur, ut Lucidus at-

que alij recentiores calculum ſubduxerunt.

Iubilcus יובל *Ebraicè dictus eſt quinquageſimus annus, cõtinens ſeptem annorum ſeptimanas. De cuius inſtitutione memorat Moſes Leuit. 25.27. Numer. 36. Beda 8. cap. Sexta, inquit, ſeptimana anni iubilei, hoc eſt, remiſſionis hebdomada eſt, quæ ſeptem hebdomadibus annorum, hoc eſt, 49. annis texitur. Qua expleta, hoc eſt, quinquageſimo demũ anno incipiente, tubæ clarius reſonabant, & ad omnes iuxta legem poſſeſſio reuertebatur antiqua. Euſebius ad annum 50. Abrahæ annotauit iubilei 41. initium, non ſimpliciter aberrans à ſcopo ueritatis. Ebræi autem aſſerũt annum 25. tranſmigrationis Iechoniæ in Babylonem, 14. autem captæ urbis Hieroſ. fuiſſe annum iubileum. Et dum iaceretur fundamentum templi Solomon. medium iubileum fuiſſe. Admodum ſubtiliter etiam Hieronymus ſiclos & iubilei annos componit. Initium haud dubiè fuit ab inſtitutione politiæ per Moſem.*

Seculum Ebræi uidentur appellare דור *durationem. M. Varro lib. 5. de lingua Latina: Seculum, inquit, ſpacium 100. annorum uocarunt, dictum à ſene: quod longiſſimum ſpacium ſeneſcendorum hominum id putarunt. Cenſorinus quoque teſtatur cap. 14. ciuile Romanorum ſe-*

culum

culam centum annis tranſigi, Etruſcorum imitatione. quanto fermè temporis interuallo ſeculares ludi celebrabantur Romæ inſtituti exactis regibus. Cæterùm ætatis hominis minorem modum ſtatuit Moſes pſal. 89. annos nimirum 70. uel ad ſummum 80. ſi quid autem amplius accedit, eſt labor & dolor. Ab hac ratione haud multum diſcedit Solon cum Crœſo diſputans, ut eſt apud Herodotum. & Etruſci, ut Cenſorinus refert 14. cap. & Eccleſ. cap. 18. αἰὼν æuum, non multum diſcrepat à ſeculi ſignificatione.

Cyclus magnus paſchalis eſt, qui multiplicato † inuicem ſolari ac lunari cyclo 532. conficitur annis: qui cuncta, quæ ad ſolis uel lunæ curſum pertinent, eodem quo præterierant ſemper tenore reſtaurat. Eum accommodauit Dionyſius incarnationi Dominicæ, ut copioſe docet Beda cap. 46. Auguſtinus libro 2. de Mirabilibus ſcripturæ, cap. 4. explicans, ut ſol et luna ſteterint pugnante Ioſue, reuocat etiã ad mũdi primordia: et Chriſtũ ueniſſe 10. cyclo.

† al. per inuicem

Cum eo circulo conuenit propè myſticus ille numerus beſtiæ χξϛ. Apoc. 13. Hic eſt ſapientia. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus eius 666.

Milleſimus etiam annus doctrinæ Chriſtia-

ſtianæ ſtudioſo eſt obſeruandus, qui occurrit ali quoties in ſcripturis: quiq; non probè intellectus in Apocalypſi cap. 20. peperit Chiliaſtas & millenarios, importunam eccleſiæ peſtem. Et quia poſt dictum pſal. 89. beatus Petrus Apoſtolus dicit 2. Ep. 3. cap. Vnũ uerò hoc non late at uos chariſſ. quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, et mille anni ſicut dies unus: mouit fortaſſe ratio illa patres eccleſiaſticos, ut totum mundi tempus admodulantes ſeptem primis diebus ſeculi, diſtribuerint in ſex millenarios, aut ætates. Quibus ſuperueniet æternum ſabbathum, aut reſurrectionis octaua. De qua partitione ſcribit Beda cap. 10. Non multũ abludit etiam Ebræorum ſententia, mundum ſex annorum millibus duraturum, quam referũt ad ſcholam Eliæ: ſed & in myſtica interpretatione Moſaici candelabri ponitur.

Aegyptiorum annus magnus, quem propriè appellat ἐνιαυτὸν & ἡλιακὸν ſolarem, & κυνικὸν canicularem, excedit etiam mille annos. Is cõficitur enim annis ciuilibus Aegyptijs 1361. Quo fit, ut primus dies θὼθ menſis redeat ad exortum ſideris caniculæ. Eſt etiam annus mundanus, quem Platonis annum dicunt, & annũ planetarũ, quum orbes cœleſtes, omniaq; ſidera redibunt ad ſuũ principium, quem demum

χρόνου τέλεον ἐνιαυτὸν fore dicit Plato in Timæo. Eum aliqui metiuntur cẽturijs annorum, ut Ioſeph. 1. Antiquit. 600. annis terminat: aliqui quindecim millibus annorum, ut Cicero in Sõnio Scipionis. Aliqui annis quadragies quinquies millenis. Aliqui uerò infinitum dicũt, nec unquam in ſe poſſe reuerti exiſtimarunt. Quod probat Franciſcus Maurolycus inſignis mathematicus. Et Aurel. Auguſtinus, theologiæ antiſtes, non magnifacere uidetur cap. 13. de Geneſi ad literam, inquiens: Et fortaſſe ita cũ omnia ſidera ad idem redierint, annus magnus peragitur: de quo multi multa dixerunt.

Anni poſtremò in ſcripturis ponuntur, æterni, non mutabiles, qui nõ uenientibus & abeuntibus diebus peraguntur. de quibus pſalm. 101. ſcriptura dicit Deo: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient, ait Auguſtinus pſal. 76. Is annus nimirũ habet dies æternitatis, & menſem ex menſe, & ſabbathũ ex ſabbatho. Quando reuera implebitur, quod Dominus pollicetur eccleſiæ catholicæ per Eſaiam 60. cap. & Apoc. 21. cap. Non occidet ultrà ſol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.

CER.

CERTA RATIO TEMPOrum à condito mundo uſque ad Chriſtum, & deinceps.

M. *Varro doctiſs.* Romanorum, *& ſagaciſsimus indagator ueritatis, tria temporis diſcrimina poſuit, ſicut &* Diodorus Siculus, *qui omnium populorum hiſtorias in unū ueluti corpus redigens, libris eis* Bibliothecarum *titulum fecit.* Primum *ab hominum principio ad cataclyſmū priorem extēdit.* Quod *tempus ſiue initiū habuit, ſeu ſemper fuit, certè quot annorū ſit, nō poteſt certò comprehendi.* Secū*dum uocat mythicon ad* Olympiadem *primam: in quo multa fabuloſa referrūtur.* Quod *quidem non planè ſcitur, ſed tamen ad* 1000. *circiter &* 600. *annos habere creditur.* Et *recitatis aliquot ſcriptorum numeris, adijcit:* Et *præterea multi diuerſe definiuerunt: quorum etiam ipſa diſſenſio incertum eſſe declarat.* Tertium *uocat tempus hiſtoricon à prima* Olympiade: *quia res eo geſtæ ueris hiſtorijs continentur.* Cenſorinus *etiam cap.* 17. *Si origo mundi ueniſſet in hominum notitiam, inde exordium ſumeremus.* Fuerunt *etiam inter homines eccleſiæ aliqui, & hodie non deſunt, qui negant extare notitiā temporum certam.* Leuicula *ſanè res prima fronte iudicari ſolet, quæq; patrocinium habere uidetur*

ex illa

ex illa uarietate ſcriptorum, tam diſcrepantes numeros temporis prodentium. Collige namq; mathematicorum, quæ ſine certa ratione temporum toto cœlo aberrare neceſſum eſt, calculos, indicationes chronogrophorum & hiſtoricorũ profer omnes in medium, & uix ſeptem reperias inter ſe conuenientes. Quod in noſtris hominibus, qui libros diuinos legunt, & uerisſimè omnia tradere fatentur, portento ſimile uidetur. Si quis autem hanc perſuaſionem diligentius perpenderit, is ſentiet eam longè perniciosiſsimam, ut quæ magnã partẽ hiſtoriæ ſacræ & uaticiniorũ euertat. Quapropter eccleſiæ cenſura grauiſsimè illam opinionem damnauit. Sic enim Philaſtrius ſcribit contra hæreſim de annorum mundi incertitudine: Alia eſt hæreſis, quæ dicit incertum numerum eſſe annorum à mundi origine, & ignorare homines curricula temporum. Ac ubi annos dinumerauit uſque ad ſuam ætatem, adijcit: Ergo ſi hæc fides erat in illis prioribus ſanctis noſtris patribus, quæ in nobis eſt, ab illis autem eſt antè tradita & prædicata, id eſt, patris & filij & ſancti ſpiritus: hæc quippe diuina ſcientia, quomodo temporalis eſt; ut quidam æſtimant, & non ab origine mundi hæc antè ſcientia Chriſtiana cunctis hominibus nunciata, quæ in mandato, & lege manifeſtata

ſtata & prædicata oſtẽditur? Et reliqua. Proin de notitiam uerã & exactã temporũ exhibere, non modò hiſtorias exteras, & omne genus lite rarũ humanarũ illuſtrat, ſed etiã Chriſtianæ do ctrinæ et religionis et eccleſiæ tũ cognoſcendæ, tum explicandæ, tũ etiã defendendæ opẽ adfert maximã. Quod nũc propius aggredior efficere.

Tempus igitur à condito mundo uſque ad di luuium, quod Varroni, Diodoro, & alijs ethni cis imperitis ſcripturæ ſanctæ fuit ignorantiæ tenebris ſepultũ, beatus Moſes antiquiſs. atque probatiſsimus, & planè diuinus ſcriptor, ſingu latim recenſendo ætatẽ cuiuslibet patriarchæ, tanquam ex profeſſo temporis indicem conte xens, eccleſiæ patefecit in libro Geneſeos. Sunt enim in ſumma, iuxta Ebraicã ueritatem, quam et Ioſephus Iudæus hac in parte agnoſcit, quæq; in Latina ueteri translatione expreſſa eſt, anni mille ſexcenti quinquaginta ſex.

Deinde à diluuio, in quo perijt mundus, uni ca domo Noæ ſeruata, uſque ad diuiſionem Iſ raelitici regni, quãdo Hieroboam filius Nabath 10. tribuum regnum, Roboam autem regnum Iu da & Beniamin ſeruauit, ſacra hiſtoria & ſer mones prophetarum atque apoſtolorum, an nos diſertè explicant. Abraham enim anno 292. à diluuio natus eſt. Qumq; ageret annum 70.

non

non 75. ut quidam hallucinando aſſerunt, oraculo euocatus ex Vr oppido Chaldæorum, audiuit ampliſſimas illas promiſſiones, quæ Gen. 12. recitantur. Inde poſt annos 430. data lex teſtamentũ illud non euacuauit, ut demonſtrat Apoſtolus Galat. 3. Porrò cũ annos 5. egiſſet in Charris Abraham, in terram Chananæorum uenit: & profligatis regibus, per oraculum diſcit, ut Geneſ. 15. legimus, prolem ſuſcepturum eſſe è Sara, & poſteritatem ſuam calamitatibus uarijs exercendam eſſe annos 400. in terra non ſua. Quod ſi ad calculum reuocemus, annos à nato Iſaac filio promiſſionis, uſq; ad egreſſũ ex Aegypto, quum Iſaac ſit natus ex Abraham centenario, detractis 30. annis, qui ad 70. annos ætatis Abrahæ acceſſerunt, non plures fient, quàm anni 400. Quos et Moſes annotauit Exod. 12. Dicit enim Iſraelitas habitaſſe in Aegypto annos 430. non utique à deſcenſu Iacob in Aegyptum, quod ſeries rerum & hiſtoriæ ſacræ non permittit: ſed à ſeptuageſimo anno ætatis Abrahæ, quando primùm euocatus ex Vr Chaldæorum, tranſmigrauit in terram alienam: mox ingreſſus eſt Aegyptum urgente fame, indéque reuerſus in terram Chanaam, in ea cum uxore mortuus & ſepultus eſt. Quod interpretes theologiæ animaduerterunt ſolerter, &

probè

probè explanarunt. Proinde numerus anno-rum à diluuio ad natum Abrahamum cõſtat nobis, qui annos 292. continet. Centenario Abrahamo natus eſt Iſaac filius promiſsionis, & ſemen illud beatum, unde naſceretur Meſsias benedictus in ſecula. Nato Iſaac uſque ad aſcenſum Iſraelitarum ex Aegypto, anni fluxerunt 400. Igitur à diluuio ad liberationem Iſraelis ex Aegypto, & politiã Moſaicã anni ſunt 792.

Porro ab aſcenſu Iſraelitarum ad annum Solomonis quartum, quo iacta ſunt fundamenta celeberrimi ſanctiſsimiq; templi, cucurrerunt anni 480. ut in hiſtoria diuna exprimitur, 3. Reg. 6. cap. Nec dubium eſt legenti cap. 11. eiuſdem libri Regum, Solomonem tenuiſſe regnum annos 40. Quod ſi ergo ad 480. adijciantur anni 36. fient in ſumma 616. anni à deſcenſu Iſr. ex Aeg. ad regni ſchiſma funeſtiſsimum.

Sequuntur anni uſque ad ſeruatoris Meſsiæ aduentum. In qua ratione uehementiſsimè collidimur, Iudæi, ethnici, & Chriſtiani. Neque poteſt negari, hac in parte ſacram quoque hiſtoriam eſſe paulo inuolutiorem. Sed bona ſpes nos tenet, quum remotiſsima & extremæ uetuſtatis tempora uenerint in hominum notitiam, etiam propiora poſſe cognoſci: & quũ à condito mundo ex literis ſacris dederimus annos numeratos

& cer-

& certos 2964. uſque ad Salomonem qui perſonam Chriſti præclarè geßit, antequam idololatria ſe contaminaret, abacus & calculi noſtri, ut ſpero, dabunt etiam certum modum temporis, uſque ad uerè pacificum regem Chriſtum Ieſum. Pono autē reliquos eſſe annos 1015. hoc eſt paulo plus quàm partem quartam temporis à condito mundo, ad Ieſum conditorem & ſeruatorem mundi ex ſpirituſancto & Maria uirgine beatißima incarnatum. Quod iam demonſtrari debet per ſuas partes.

Diuiſo namque Iſraelitico imperio duas in partes, ut Roban filius Salomonis duas tribus, Iuda & Beniamin retineret, Hieroban autem eius ſeruus ad hæc tempus, 10. tribus raperet, uſque ad ſextum annum Ezechiæ, qui in Olympiadas & certum illud atque hiſtoricū tempus incidit, anni ſunt ducenti ſexaginta tres. Quos colliget, non qui uel regum Iuda uel Iſraelis annos ſeparatim iunget, ſed qui utrorumque regum annos examußim in tabula deſcribet alternatim. Nam interciderunt turbatißima tempora, ut quandoque eßet interregnum iam in Iuda, iam in Iſrael: nonnunquam & filius regnaret cum patre. Quæ mirum in modum Richardum theologum, & Nicolaum de Lyra, & alios torſerunt. Numerum autem quem dedi,

Ebræis etiam antiquioribus animaduerſum eſſe, uel Rabi Abrahã Cabal*æ magiſter non infimus teſtatur.* Scribit *enim, quod habet acceptũ à maioribus, templum* Solomonicum *ſtetiſſe annos* 427. Q*uibus annis ſi detrahas* 31. *annos de regno* Solomonis. (N*am decimo anno* S*alomonis abſolutum eſt templum, ut adnotauit chronicon* Ebraicũ, *quod minus uocãt*) *et* 133. *annos uſque ad ultimum* Zedeci*æ, quo capta eſt urbs, reliqui fient anni* 263. F*alſus autẽ eſt* Ioſephus, *fortaſſe annos alterius duntaxat regni ſingulatim colligens: qui ſcribit anno* Ezechi*æ ſeptimo* Samariam *captã, & tribus* 10. *abductas in* Perſas & Medos *à ſchiſmate, quo deſciuerunt à* Roboamo, *anno* 240. *menſe* 7. *dieb.* 10. Q*uod in errorem abduxit* Euſebium Cæſarienſem *eccleſiæ* Chriſti *principem chronographum.* Q*ui ad annum* Romuli *ſextum annotauit* 10. *tribus uictas à* Salmanaſſar, *qui &* Sennacherib, *poſtquam regnatum eſt in* Samaria 250. *annis.* Q*ui numerus dubio procul eſt corruptus.* N*am ſingulatim collectis annis regum, quos in chronologia poſuit* Euſebius, *duntaxat fiunt anni* 240. *ſicut* Ioſephus *propoſuit.*

Superſunt autẽ nobis anni uerſus minus, 752. *inueſtigandi. quorum maximam partem occupant ſeptimanæ* Danielis, *opus perquam diuinum,*

num, quod theologos omnes uelut in palæſtra exercuit, hodieq; exercet. Hoſtibus autem fidei catholicæ, ueluti Porphyrio, & alijs, magnã præbuit materiam calumniandi. Iudæos denique prorſus conuertit in rabiẽ. Qua quidem in parte explicãda primùm, ut par eſt, è diuinis ſapientiæ theſauris opem quæremus: deinde hiſtoricorum, theologorum, & aſtronomorum opem corrogabimus. Nã Iudæi longè falſi ſunt.

Poſt ſextum igitur Ezechiæ regis annum uſque ad undecimum Zedeciæ, & urbis excidium ſunt, 133. anni. Quia de annis Ezechiæ 29. ſuperſunt 23. Manaßis 55. Ammon 2. Ioſiæ 31. Ioachim 11. Zedeciæ 11. Menſes autem Ioachaz & Iechoniæ incluſi ſunt, ceu intercalares. Anni autem ſeptuaginta Babylonicæ captiuitatis uerſantur in controuerſia. nõ quòd fatales iſti anni à pijs omnibus non agnoſcantur, quos Hieremias uaticina mente prædicit, & Daniel in libris ſacris legẽs agnoſcit: ſed quia dubitari ſolet, an ſint numerandi à tranſmigratione Iechoniæ, an à ſubuerſa urbe. Qua in parte Iudæi ducentis propemodum annis aberrant, & in ſuum errorem abduxerunt Ioannem Picum, Mirandulanum principem, gloria immortali digniſſimum. Quod enim alij contendunt 70. annos numerandos eſſe ab 11. Zedeciæ anno, &

euerſa urbe, alij uix 30. annos ab urbe capta uſque ad primum Cyri & liberationem numerant: id quidem oſcitantia hominum factum eße puto. Quanquã utriuſque opinionis graues autores eſſe non ignorem. Nam Iulius Africanus aßeruit annos 70. numerandos ab urbe capta in primum Cyri annum: quem plurimi ſequuntur. At rurſum Clemens Alexãdrinus, & Euſeb. lib. 8. Demonſtrat. Euang. annos illos à deſolatione templi ad annum ſecundum Darij extendunt: alij à tranſmigratione Iechoniæ ad primum Cyri annum. Quod Ioſephus ſentire uidetur libro 10. Antiquitatũ, ita ſcribens: Primo imperij anno regis Perſarum Cyri, cui ſeptuageſimus concurrebat, ex die quo noſtrum populum contigit ex proprijs finibus ad Babyloniam migrare, miſeratus eſt captiuitatis Deus, & illius calamitatis infelicium Iudæorum. Et ſicut per Hieremiam prophetam antè prædixerat, quàm ciuitas euerteretur, poſtquam ſeruierunt Nabuchodonoſor, eiusq; nepotibus, & hãc ſuſtinuerunt ſeruitutem per annos ferè 70. rurſus eos ad propriam reſtituit terram, & templum reædificare, & præterita frui felicitate præcepit. Quod quidem congruit hiſtoriæ ſacræ 4. Reg. 24. & uaticinio Hieremiæ 29. 25. Hanc tranſmigrationem agnoſcit Dominus Hierem. 24.

De hac

De hac ſubinde loquitur Ezechiel,ut cap. 40. In uiceſimoquinto anno tranſmigrationis noſtræ,in exordio anni,decima menſis,quartodecimo anno poſtquam percuſſa eſt ciuitas. Quid poſſet clarius dici,quàm tranſmigrationis tempus eſſe calculandum 11.annis ante perditam urbem? De hac μετοικεσίας βαβυλῶνος loquitur Matthæus 1. cap.neque repugnat uel tantillum Dan.9. cap. Quam ſententiam ſequuntur non pauci tractatores diuinæ ſcripturæ,ut Hieronymus, & alij. Sunt ergo à Zedeciæ ultimo anno, quo templum eſt inflammatum,& urbs penitus deleta, uſq; ad primum annum Cyri Perſarum regis 59.anni.

Porrò à Cyro & aſcenſu atque liberatione Iſraelitarum ex Babylonia uſque ad natalem ſeruatoris Meſſiæ,anni colliguntur 560. Quod diuus Hieronymus, diligens temporum computator, exponens Danielis hebdomadas, ita eloquitur,et quidem Africanum chronologum ſecutus: Regni Perſarum 230. ſupputantur anni, & Macedonum 300. & poſt illos uſque ad natiuitatem Domini 30.hoc eſt,ab initio Cyri uſque ad aduentum Domini 560.Idem Hieronymus, iuxta diligentiſſimam ſupputationem à primo anno Cyri regis Perſarum atque Macedonum, in quo imperauit & Darius, uſque ad

Veſpaſianum, & euerſionem templi, ſupputantur anni 630. ad extremam ſubuerſionem ſub Adriano, 696.

Vt autem ad conſenſionem diuinæ ſcripturæ adducamus Latinos, Græcos, Barbaroſq; ſcriptores, & ipſos adeò aſtrologos exactißimos temporum obſeruatores, conſtituendus eſt annus nati ſeruatoris Meßiæ. Hiſtoria quidē Euangelica docet, quum naſceretur, edictum fuiſſe à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur orbis uniuerſus. Hunc auſpicatißimū annum Deus multis rebus inſignem eſſe uoluit, eſtq; notatus diligenter in Rom. annalibus: & inde à noſtris hominibus à Chriſtianis ſcriptoribus literis mādatus. Nam Paulus Oroſius lib. 7. cap. 1. ita ſcribit: Cæſaris, Auguſti puta, poſteaquā imperare cœpit, emenſo propemodum anno 42. natus eſt Chriſtus, qui Abrahamo ſub Nino primo rege fuerat repromiſſus. Natus eſt autem 8. Calendas Ianuarij, quum per imum incrementa omnia anni uenientis incipiunt. Qui annus quantis, quàm nouis, quamq; inuſitatis bonis abundauerit, ſatis etiam, me non proferente, compertum haberi arbitror. Toto terrarum orbe uni pax omniū, non ceßatione, ſed abolitione bellorum. Clauſæ Iani gemini portæ, extirpatis bellorum radicibus, non repreßis. Cenſus ille primus & maxi-

mus

mus fuit, quum in hoc unum Cæſaris nomen uniuerſa magnarum gentium creatura iurauit: ſimulq́; communione cenſus, unius ſocietatis effecta eſt. Igitur ab urbe condita † 752. natus eſt Chriſtus, ſalutarem mundo afferens fidem. Hūc annū etiā Eutropius lib. 7. annotauit. Is fuit conſulatus 13. Auguſti, collega συλανῶ, uel M. Plautio Syluano. (Is fuit Olympiadis 194. ultimus annus: ut perperā in chronicis Euſeb. numeros applicuerunt, ut Nicephorus & Euſebius notarunt.) Conditam eſſe Romam Olympiadis ſeptimæ initio, docet Dionyſius Halicarnaſſeus libro 1. & 2. quo nemo diligentius Romanam hiſtoriam ſcripſit, nonoq́;. Oroſius & Eutropius non repugnant, initium urbis cōditæ Rom. iungentes cum ultimo anno ſextæ Olym. Nam pars illi ceßit, pars ſeptimæ meliore fide. Proinde ſi annum primum ab urbe condita, & Olympiadis ſeptimæ initium cum ſacra hiſtoria coniunxero, confecta eſt ratio temporum à condito mundo uſque ad natalem Domini ac Dei noſtri Ieſu Chriſti: eſtq́; uia reperta, qua hiſtoriā uniuerſam Græcorum & Latinorū cum ſacra coniungamus. Id quod plurimi refert ritè feciße. Eſt autem nobis ſeruatum fragmentum prouidentia Dei ſingulari ex monimentis M. Varronis, qui diligentißimus fuit circa collectionem

† al. 742. ſed perperam

 hiſto-

hiſtoriæ priſcarum originum,& omnis liberalis doctrinæ. De hoc Cenſorinus cap.17.ita ſcribit:De tẽpore tertio,nempe ab Olympiadibus, fuit aliqua inter autores diſſenſio in ſex ſeptimanæ tãtummodo annis uerſata. Sed hoc quodcunque caliginis Varro diſcuſſit, & pro cætera ſua ſagacitate nunc diuerſarum ciuitatũ conferens tempora, nunc defectus, eorumq́; interualla retrò dinumerans, eruit uerum, lucemq́; oſtendit, per quam numerus certus non annorum modò,ſed & dierum perſpici poſſit.Secundum quam rationem, niſi fallor,hic annus,cuius uelut index & titulus quidam eſt Vlpij & Pontiani conſulatus ab Olympiade prima,1000.& 14. ex diebus duntaxat æſtiuis, quibus agon Olympicus celebratur. A' Roma autem condita 991.& quidem ex Palilibus, unde urbis anni numerantur. Et paulo pòſt locutus de anno Iuliano,qui incipit Cal. Ianuarij, & Auguſtano, qui pridie Calen.Ianuarij,ſubdit: Sed Aegyptij quod biennio antè in poteſtatem ditionemq́; populi Rom. uenerunt, habent Auguſtorũ annum 258.Nã ut à noſtris, ita ab Aegyptijs quidã anni in literas relati ſunt, ut quos *Nabonnegarij nominãt, quòd à primo imperij eius anno conſurgunt. Quorum hic noningenteſimus octogeſimuſſextus eſt. Item Philippi,qui ab exceſſu Alexandri

cap.15. indicat numerari Olympiadem 254.eiusq́; annũ ſecundum.

*rectius Nabonaſſarij, uel Nabonaſſaris

xandri Magni numerãtur, & adhuc uſque perducti, annos quingentos ſexaginta duos cõſummãt. Sed horũ initia ſemper à die primo menſis eius ſumuntur, cui apud Aegyptios nomen eſt thoth: quoque hoc anno fuit ante diem ſeptimũ Cal. Iulij: quum abhinc annos centum Vlpio & Brutio Præſente Romæ Coſſ. ijdem dies fuerũt ante diem 12. Cal. Augusti. Quo tempore ſolet canicula in Aegypto facere exortum. Hactenus Cenſorinus ex Varrone. Tenemus igitur clauẽ, qua hiſtoriæ ſacræ & exteræ ſeriem pandamus, eademq; opera fores aperiamus aſtronomicæ calculationis, ut luce infuſa diuinarum literarũ, aſtronomi rectius paulo intelligant ſuum magiſtrum Ptolemæum. Non enim Nabonaſſor, cuius primum annum uelut radicem fixit Cl. Ptol. in obſeruationibus ueterum exponendis, Nabuchodonoſor eſt, ut plerique putãt: ſed alius rex, centum annis antiquior, quàm Nabuchod. ille celeberrimus, qui Iudæos in Babylonem trãſtulit. Quod rationibus aliquot ex Almageſto Ptolemæi petitis luce meridiana clarius faciã. Annus enim, quo T. Antoninus Pius Aug. II. qui dicitur hic Vlpius, & Brutius Præſens, fuere conſules Romani, eſt 891. ab urbe condita Olympiadis 129. tertius à Chriſto nato 139. cum hoc anno Ptolemæus componit primum annum Na-

hiſtoriæ priſcarum originum, & omnis liberalis doctrinæ. De hoc Cenſorinus cap. 17. ita ſcribit: De tẽpore tertio, nempe ab Olympiadibus, fuit aliqua inter autores diſſenſio in ſex ſeptimanæ tãtummodo annis uerſata. Sed hoc quodcunque caliginis Varro diſcuſſit, & pro cætera ſua ſagacitate nunc diuerſarum ciuitatũ conferens tempora, nunc defectus, eorumq́; interualla retrò dinumerans, eruit uerum, lucemq́; oſtendit, per quam numerus certus non annorum modò, ſed & dierum perſpici poſſit. Secundum quam rationem, niſi fallor, hic annus, cuius uelut index & titulus quidam eſt Vlpij & Pontiani conſulatus ab Olympiade prima, 1000. & 14. ex diebus duntaxat æſtiuis, quibus agon Olympicus celebratur. A' Roma autem condita 991. & quidem ex Palilibus, unde urbis anni numerantur. Et paulo pòſt locutus de anno Iuliano, qui incipit Cal. Ianuarij, & Auguſtano, qui pridie Calen. Ianuarij, ſubdit: Sed Aegyptij quod biennio antè in poteſtatem ditionemq́; populi Rom. uenerunt, habent Auguſtorũ annum 258. Nã ut à noſtris, ita ab Aegyptijs quidã anni in literas relati ſunt, ut quos *Nabonnegarij nominãt, quòd à primo imperij eius anno conſurgunt. Quorum hic noningenteſimus octogeſimus ſextus eſt. Item Philippi, qui ab exceſſu Alexandri

cap. 15. indicat numerari Olympiadem 254. eiusq́; annũ ſecundum.

*rectius Nabonaſſarij, uel Nabonaſſaris

xandri Magni numerãtur, & adhuc uſque perducti, annos quingentos ſexaginta duos cõſummãt. Sed horũ initia ſemper à die primo menſis eius ſumuntur, cui apud Aegyptios nomen eſt thoth: quoque hoc anno fuit ante diem ſeptimũ Cal. Iulij: quum abhinc annos centum Vlpio & Brutio Præſente Romæ Coſs. ijdem dies fuerũt ante diem 12. Cal. Auguſti. Quo tempore ſolet canicula in Aegypto facere exortum. Hactenus Cenſorinus ex Varrone. Tenemus igitur clauẽ, qua hiſtoriæ ſacræ & exteræ ſeriem pandamus, eademq́; opera fores aperiamus aſtronomicæ calculationis, ut luce infuſa diuinarum literarũ, aſtronomi rectius paulo intelligant ſuum magiſtrum Ptolemæum. Non enim Nabonaſſor, cuius primum annum uelut radicem fixit Cl. Ptol. in obſeruationibus ueterum exponendis, Nabuchodonoſor eſt, ut plerique putãt: ſed alius rex, centum annis antiquior, quàm Nabuchod. ille celeberrimus, qui Iudæos in Babylonem trãſtulit. Quod rationibus aliquot ex Almageſto Ptolemæi petitis luce meridiana clarius faciã. Annus enim, quo T. Antoninus Pius Aug. II. qui dicitur hic Vlpius, & Brutius Præſens, fuere conſules Romani, eſt 891. ab urbe condita Olympiadis 129. tertius à Chriſto nato 139. cum hoc anno Ptolemæus componit primum annum Na-

bonaſſaris libro 9. cap. 10. de periodicis motibus Mercurij. Dicit enim à Nabonaſſare ad ſecundum Antonini annum, eſſe 886. annos. Iis ſi detrahas 141. annos, & fermè annũ, quòd Aegyptius annus minor eſt quàm Rom. relinquentur 744. circiter anni. Sic libro 7. Magnæ conſtructionis 3. cap. demonſtrans, quod in polis eclipticæ lineæ ſphæra mouetur ad ſucceſsionẽ ſtellarum affixarum: dicit 845. annos eſſe à Nabonaſſare ad annum primum Traiani. Quibus ſi detrahas 100. annos, qui ſunt inter Chriſti natalem & Traianum, relinquentur anni 744. circiter. Congruit etiam ratio, quòd lib. 4. cap. 9. à Nabonaßare ad annũ nonum Aelij Adriani ponit annos 871. dies 26. horas 8. Nõ diſcrepãt quoq; rationes ad Cãbyſem, ad mortem Alexandri, ad Darij ætatem ſubductæ. Conferamus igitur has rationes Olympiadũ, ab urbe condita annorum Rom. Nabonaßarios annos, & quos collegi à ſexto Ezechiæ ad natalẽ Domini, annos uidelicet 133. & 59. et 560. addito inſuper anno Ezechiæ ſexto, qui fiunt 753. quibus adijcere oportet annos à natali Chriſti ad conſulatum Pij, uel potius Vlpij et Pontiani 238. Porrò ad Ptolemæi rationem ſi adijcias 100. annos, æquabitur planè cum annis Nabondgarij, uel Nabonaſſaris.

Olym-

Olympia. dũ	Vrbis cõ. anni. ditæ.	Iſrae. litarũ.	Nabo. nagary.	Ptolemæi ad Nabon. ſſarẽ.
1014	991	991	986	986

Eſt ergo ſextus annus Ezechiæ, *quo Samaria cecidit,primus urbis conditæ,*Olympiadis *ſeptimæ primus.* Initium *autem annorum* Nabonaſſaris,*decimo anno* Ezechiæ.

Audiamus igitur nũc quis fuerit Nabonaßar, *& primum quidem ex* Euſebio, *qui ſic ſcribit.* Captiuitas Iſrael *prima.*Decem *tribus gentis* Iudææ,*quæ uocabãtur* Iſrael,*& erant in parte* Samariæ,*uictæ à* Sennacherib,*qui et* Salmanaßar, *rege* Chaldæorum,*translatæ ſunt in montes* Medorum.Regnatumq; *eſt in* Samaria *annis* 240. Sennacherib *rex* Chaldæorum *ad cuſtodiendam regionem* Iudææ *incolas miſit* Aßyrios: *qui æmulatores* Iudaicæ *legis facti,*Samaritæ *nuncupati ſunt.* De *his rebus, ut regnum* 10. *tribuum ſit deletum,nouis colonis impoſitis in terram,legis* 4. Reg.17. *Vbi rex* Aßyriorũ Salmanaſſar *nominatur, quem* Euſebius *eundem putat cum* Senacherib. *At ſi audiamus* Metaſthenem Perſam *ex* Beroſo Chaldæo *commemorãtem reges* Aßyrios,*nõ idem eſt* Sennacherib *&* Salm. *Sed decimo anno* Ezechiæ *regnũ accepit,&* 16. *anno* Ezech.*ſui autem regni anno ſeptimo,interfectus eſt à filijs ſuis in* Niniue,*poſt diram cladem,*

dem, quam accepit ante Hieruſalem. Adhæc qui colonos Cutheos, & alios in Samariam traduxit, 1. Eſd. 4. dicitur Aſenapar, magnus et glorioſus, & Aßor Haddan rex Aſſur. Quod nomen fuit etiam filio Senacheribi. Quanta potentia fuerit iſtius Senacherib, ſimulq; ſuperbia & impietas, id uerò ſcribitur 4. Reg. 18. 19. & 2. Paral. 25. Eſai. 36. & 37. Contra illum protulit hoſtiles literas nomine Dei exercituũ Nahum propheta. Is profligauit Tharacha ſiue Thearchontem Aethiopum & Aegyptiorum regem, ut Eſai 20. cap. uaticinatus fuerat. Quàm autem dira uindicta eũ perdidiſſet, ſtatua eius Peluſij in templo Vulcani poſita fuit cum hoc elogio: In me quis intuens, pius eſto. Quod Herodotus reliquit ſcriptum in Euterpe.

Explicatæ ſunt igitur rationes temporũ à condito mũdo uſque ad natalem IESV Nazareni filij Dei, ac Mariæ uirginis è ſtirpe Dauidica, idq; ſingulari Dei beneficio, qui lucem in ſacris ſcripturis nobis præfert, ac manuducit per iter multis quidem fruſtra tentatum, eccleſiæ uerò Chriſti patefactum, quæ eſt ſedes atq; firmamentum ueritatis. Vt que magis conſpicuum ſit donum hoc diuinum, quod conſtet nobis probè ratio ſeculorum, ſine qua notitia languet, ac neruis ſuis deſtituta iacet hiſtoria tam eccleſiaſtica

quàm

quàm extera: uiſum eſt in tabula proponere diuerſas aliquot rationes excellentium uirorum. Interim taceo abſurdiſsimos numeros annorũ, quos Aegyptij, & Scythæ, & Phryges & Arcades antelunares, aliæq; gentes exhibuerunt, hodieq; ſolent exhibere, gloriãtes de antiquitate rerum ſuarum. Ponam autem principiò rationem per ſanctas ſcripturas nobis monſtratã: deinde, ut quæque proxima eſt.

DIVERSAE RATIONES TEMporum à condito mundo, uſq; ad natalem diem Ieſu Chriſti.

Scripturæ ſanctæ calculo exactiore	3979
Vrſpergenſis. Paul. Phrygio. Philip. Mel. Paulus Eberus. Ioannes Funckius	3962
Ioan. *Lucidus, multiq; aſtronomi.* Martinus Lutherus	3960
Hieronym. *iuxta* Ebr. *ueritatem.* Beda.	3952
Hermannus Contractus. *Falſus eſt numerus* Bedæ	3942
Ioan. Picus Mirandulæ *princeps uariũ dat modum tẽporis. Minor numerus corruptus uidetur.* Nam Iud. Chronica *probauit*	3958 3508
Ioan. Caryon. *minimus numerus omniũ*	3944
Carolus Bouillus	3989
Ebræorũ plerique, & chronica publicata	3760

Rabi

Rabi Leui ben Gerſon. Propè accedit R. Abraham in Cabala	3754
Rabi Naaſſon in cyclo paſchali	3707
Ioſephus hiſtoricus Ebr. primarius	4103
Odiaton ſiue Eduicon aſtrologus	4320
Aurel. Caßiodorus	4697
Epiphanius epiſcopus contra Manichæos	5029
Paulus Oroſius	5049
Græcos interpretes qui probãt, mirificè tamen uariant inter ſe. Euſebius Cæſarienſis in chronologia. Barpt. Platina. Vincentius	5199
Vrſpergenſis abbas. Ioan Nauclerus	5201
Philo Ebræus. Auguſtinus lib. 2. de mirabilibus ſcripturæ Iſidorus addit annũ inſuper	5195
Albumaſar aſtronomus: quẽ pleriq; Neoterici putãt ſequendũ eße in aſtris cõputãdis	5328
Auguſtinus alium numerum edit	5353
Suidas, & aliqui Græci	5600
Philaſtrius de hæreſibus	5801
Alphonſus rex maximum ponit numerũ	6984

CAVSAE DIVERSORVM numerorum temporis.

LOcus poſtulare uidetur, ut cauſas inquiramus tantæ numerorum diſcrepantiæ in temporibus notandis. Quæ multæ occurrũt ani

mo.

mo. Prima quidem cauſa eſt animus deprauatus ſcriptorum, qui ut ſuas patrias res in longũ extenderent, alienas deprimerent, falſa tempora ſæpe attribuerunt. Quomodo Aegyptius ille ſacerdos, ut eſt in libris Platonis, gloriatur myriadas etiã annorũ fugere Græcos, quib. res Aegyptiorũ floruerint. Altera eſt oſcitãtia ſcriptorũ, & negligentia rei tamen, quæ meretur exactam obſeruationem. Quod ſæpe accidit Ioſepho, ut in uitis patrum ante diluuium, in annis regum Iuda & Iſrael, & alibi. Tertia cauſa eſt præiudicium de ſcriptoribus, ceu nefas ſit ab eorum dictis uel latum unguem diſcedere: ut Græcorum interpretum ueteris Teſtamenti autoritas, plumos in errores magnos abduxit. Quartum locum obtinent uitioſi libri: quos facile eſt deprauari, præſertim quando notis ſignatur quãtitas alicuius temporis. Quanquam & uoces literis ſuis integre perſcriptæ uitiari ſolent: deinde ex deprauatis codicibus magis etiam inemendata tranſcribi, errore ſe magis magisq; diffundente. De quo Hieronymus in Comment epiſtolæ Pauli ad Titum queritur. Ita in oratione Pauli Act. 13. anni τετρακόσιοι pro τριακοσίοις ſcripti ſunt, manifeſto & graui lapſu ſcribarũ. In Ebraicis etiam codicibus alicubi mendæ irrepſerunt. Quinta ratio eſt, quòd ſynecdocha quæ partem pro to-

pro toto, & rurſum totum pro parte ponit, in omni genere ſcriptorum perfamiliaris eſt. Itaque in ſcripturis ſanctis alicubi reperiuntur numeri diſcrepantes, neque preciſè, ut loquuntur, & ad uiuũ omnia reſecantur. Quomodo Iephte Iudic. 11. cum rege Ammonitarum diſceptans de iure terræ, præſcriptionem longi temporis defi nit annis 300. rotundo planè numero: exactiori autem calculo minor numerus prodibit. Id ſæpe fit in cõfinio duorum principum, ut unus annus utriſque tribuatur totus, etiam ſi alter paucos menſes aut dies etiam pauculos ſibi uendicet. Qua ratione euenit, ut Rhegino imperatorum Rom. & Pontificum annos cõferens, per annos 800. diſcrepantiam annorum 40. circiter offenderit. Tropo ſynecdoches finitima eſt anacephalæoſis, id eſt recapitulatio, ſiue hyſterologia, quum ordo naturalis in exponendus rebus non ſeruatur. Vnde chronographi, qui hanc ſcripturæ ſanctæ figuram non obſeruant Gen. 12. Abrahamum euocatum putant è patria 75. ætatis anno. Idem euenit in principio libri Iudicum, in rebus Dauidis, & alibi ſæpius. Illis adiungenda eſt mutatio termini regnorum. Vt Hierem. 25. cap. quartus annus regis Ioachim dicitur primus annus regis Nabuchodonoſor. Et rurſum aliquot annis interiectis Dan. 2. ponitur

ſecun-

ſecundus annus Nabuchodonoſor,*ſed alia relatione, quàm in* Hieremiæ *ſermonibus.* Poſtremò *uarietas nominum ſæpe fallit incautos in ratione temporū, quando plures homines cognomines ſunt, aut unus multa habet nomina.* Etenim *plures* Aegypti *reges dicuntur* Pharaones, *plures* Palæſtini *reges* Abimelech,*plures* Perſici *reges* Artaxerxes,*aut* Darij. *Quæ nomina dum congeruntur in unum principem,non mediocres pariunt confuſiones.*Rurſum Sanherib *ſiue* Sennacherib Eſaiæ 20. *appellatur Sargon.* Eūdem Ptolemæus *mathematicus uocat* Nabonaſſarē.Vt *ſanè* Aſar *uox in* Aßyrijs *nominibus perfrequēs eſt, uel in principio, ut* Aſaraddon, Aſaracus,Aſnappar *uel* Aſernapar *: quem puto ab ethnicis factum* Aſernaparum *&* Sardanapalum. Vel *in fine, ut* Phul *aſſar,*Theglathphal *aßar,* Salmanaſſar, Regaſſar, *& alia infinita.* Has *puto præcipuas cauſas, ob quas chronologia turbata eſt.*Nihil *igitur ad hunc librum* De *ratione temporum accommodata rebus Chriſtianis,abſoluendum reſtare puto, quàm ut partitio temporum idonea inſtituatur.*

PARTITIO TEMPORVM.

NOn *una placuit omnib. temporū diſtributio,ſed alijs alia:omnes tamen in duo genera uidentur abſumi:quorū alterum eſt theo*

logicum, quod ad rerum ſtatum ſignificandum eſt accommodatum: alterum mathematicũ, aut hiſtoricum. Prioris generis eſt, quòd diſtribuũt theologi uniuerſum tempus, intra quod Deus eccleſiam aliquam in terris colligere & conſeruare dignatus eſt, in triplicem legis diuinæ differentiam: ut unum ſit tempus legis naturæ, ad Moſem uſque: alterum legis ſcriptæ, ad CHRISTVM uſque: tertiũ gratiæ, à CHRISTO nato ad mundi finẽ. Qua ratione dicunt Ebræi tẽpus uacuitatis, legis, & Meſſiæ. & in candelabri myſtica explicatione quatuor ponuntur tẽpora, naturæ, legis non ſcriptæ, ſcriptæ, & Meſſiæ. Huius quoque generis eſt, quòd ſecula interſtinguũtur metallis. Quod ſumptum uidetur potius è ſtatua Nabuchodonoſoris, de qua Danielis 2. aut antiquiori doctrina etiam prophetarum, quàm ex Heſiodi libro de Diebus et operibus: ut unum ſit aureum ſeculum, aliud argenteum, tertium æreum, quartum ferreũ, & deinceps ſimiliter. Huc pertinet temporum diuiſio ab ætate hominis petita, & ipſis temporum partibus: quum infantia ponitur, & pueritia, et iuuẽtus, & uirilis ætas, & ſenecta, & decrepita ætas: ut Irenæus, Hieronymus, Auguſtinus, Beda, Faſciculi temporum autor, & alij diuiſerũt. Quo ſenſu Eucherius ad Valerianum ſcribit:

Poſtre-

Poſtrema mundi ætas referta eſt malis tāquam morbis ſenectus & reliqua. Atque illud etiā Iudæi æmulati ſunt, diuidentes ſex annorū milia, quibus duraturum eſſe mundum putant, in ſeptem partes. Iuxta partes ipſius temporis, talis eſt partitio, ut totus mundi curſus uel diei uel ſeptimanæ comparetur. Diei hoc modo, ut Hieronymus fecit Mich. 4. In ſex milibus annis ſi quingenti anni per horas diei ſingulas diuidantur, nouiſsima hora conſequenter dicetur tempus fidei gentium. Septimanæ hoc modo, ut Auguſtinus lib. 12. contra Manich. ſcribit: Sex diebus in Geneſi conſummauit Deus omnia opera ſua, et ſeptimo requieuit. Sex ætatibus humanū genus hoc ſeculo per ſucceſsiones temporū Dei opera inſigniunt. Quanquam Origenes & Hieronymus etiam ſeptem ponunt ætates, ut octaua reſurrectionis & ſempiternæ felicitatis inſequatur. Ex hoc fonte profluxit, quod Ebræi dicunt Eliæ ſcholā prodidiſſe, per ſex dies creationis mundi ſex annorum milia, quibus duraturus ſit mūdus, prædicari. Cōprehendunt etiam Iudæi tempora iubilæis, & annorum ſeptimanis. & in libro de Iudicijs proditum eſt, exactis 85. Iubilæis Meſsiam aduenturum. Quod tempus ante annos 1300. exactum eſt, & adhuc fruſtra miſeri expectant Meſsiam fictitium. Domi-

nus CHRISTVS *ſecula diſtinguit reſolutione ſeptem ſignaculorum libri fatalis, & ſeptem claßicis tubarum.* In *quibus interpretandis boni theologi deſudant.*

Alterum genus, quod mathematico uel hiſtorico modo figit metas temporum, & initia certa ponit, quas æras uocant, ipſum quoque eſt uarium. Ab origine mundi ſeriem temporum ducere, eſt conſentaneum rationi: quod Ebræi *faciunt. qui tamen ab* Alexandro Magno *acceperunt alium temporis indicem, quo in tabulis ſignandis utuntur.* In *ſacris literis termini annorum ſunt, egreſſus ex* Aegypto *à percuſſa & euerſa urbe.* Item *à principibus & regnis: ut* Dan.2.*ſecundus annus* Nabuchodonoſoris *ponitur: in euangelio* Lucæ, 15. Tiberij *baptiſatus eſt* CHRISTVS. In *libris* Machabæorũ *anni monarchiæ* Græcorum *aut* Macedonum *annotantur.* Aliquando *plures notæ cõiunguntur: ut* Ezech. 40. In *uiceſimoquinto anno tranſmigrationis noſtræ, in exordio anni decima menſis, quartodecimo anno poſtquam percuſſa eſt ciuitas.* Luce 3. *cap.* Anno *quintodecimo imperij* Tiberij Cæſaris, *procurante* Pontio Pilato Iudæam, *tetrarcha* Galilææ Herode, *ſub principibus ſacerdotum* Anna et Caiapha, &c. Græci *à bello* Troiano, *& diluuio* Ogygis, *&*

Hera-

Heraclidarum deſcenſu in Peloponenſum: præcipuè autem per Olympiades notant tempora. Latini ab Vrbe condita, & regibus exactis, & annis conſulum, rebus geſtis, imprimunt notas. Mathematici habent limites calculationum ſuarum, Diocletianum, Alexandrũ, Antoninũ, Nabonaſſarem, & alios. Huius generis ſunt anni magni pentaeterides, enneaeterides, & aliæ temporum comprehenſiones. Aptior eſt diſtinctio per centurias annorum, aut decades: ut Euſebij & Hermanni Cõtracti Chronica per Decades diſtributa ſunt.

Antiquiſsimus autem fuit eccleſiæ mos, notare annos ex die ſalutiferæ paſsionis Domini IESV, quo deletum eſt peccatum totius mundi: Vt Hieronymus Sophon. 1. Poſt annos quadraginta & duos Dominicæ crucis, circumdata eſt ab exercitu Hieruſalem. Sed et abbas Dionyſius, ut aboleret ex Chriſtianis annalibus Diocletiani tyranni nomen, præfixit cardinem temporum incarnationem Domini: utq; exordium ſpei noſtræ notius nobis exiſteret, & cauſa reparationis humanæ, id eſt, paſsio redemptoris noſtri euidentius eluceret. Sed Eugenius quartus Rom. Pontifex, circa Dominicæ incarnationis annum 1440. hortante Blondo Forliuienſi, notario tum, & à ſecretis põtificij col-

legij trãſtulit terminos, quos poſuerãt patres noſtri, & conſtituit, ut à natali die CHRISTI *annorum calculus ducatur. Quod iam à pleriſque populis nominis Chriſtiani obſeruatur.*

Ad rationem quidem temporum Chriſtianis rebus tum cognoſcendis tum explicandis accommodatam, hæc partitio, poſtquam diu multa perpendi, uiſa eſt aptiſsima, ut tempus ab origine mundi uſque ad illum fauſtiſsimum diem, quo uirgo Maria credens uerbo Dei, mater eſſe cœpit æterni filij Dei IESV CHRISTI, *& exactis annis 33.* IESVS *pontifex æternus hoſtiam ſui corporis in ara crucis obtulit, diſtribuatur in ſex partes, quæ inſigniantur nominibus celeberrimarum perſonarum. Ex oppoſito etiam tempus ab incarnatione uerbi Dei, quantum eſt reliquum in finem mundi, ſex in partes abſumatur, appoſitis titulis inſignibus. Per ſingulos deinde libros ſingulæ partes explicentur, obſeruato locorum & rerum diſcrimine: ut primum exponantur eccleſiæ domeſticæ res: deinde exteræ, quæ in Aſia, uel Africa, uel Europa euenerunt. In quibus illud diſcrimen ſeruabitur, ut locum primum teneant, quæ propriè attingunt religionem, doctrinã & eccleſiã* CHRISTI: *deinde, ut unumquodque eſt proximè cognatum, ueluti prodigia & ſigna, inuentio &*

progreſ-

progreſſus artium: opera eximia, ut urbes, templa, pyramides: actiones eximiæ, ſiue bonæ ſiue malæ, euentus rari & præcipuè memorabiles. Poſtremò adijci indices, utile fuerit, quibus res cognatæ à primordio mundi colligantur in locos communes, ut prodigia, ut ſomnia eiuſdem generis. Quæ res mirificè illuſtrat hiſtoriam, dum parallela inuicem conſtituuntur ea, quæ in ſacris ſcripturis ſunt poſita, & quæ in exteris: & inſtruit uitam hominum, dum uelut in ſpeculo ea cernuntur, quæ præceptis obſcurius traduntur. Neq; uerò neceſſe fuerit in ſingulis rebus notandis, aut in ſingulis paginis apponere integros numeros. Veluti quoto anno ab origine mundi, aut diluuio, aut Abrahamo, aut Moſe, aut captiuitate Babylonica, aut ab incarnato CHRISTO *urbs Hieruſalem euerſa ſit per Titum Veſp. & Rom. exercitum. Sat enim fuerit notaſſe annum ab incarnatione Domini. Reliquas enim partes facile fuerit adijcere.*

Feci ergo parallelas portiones temporũ ad hunc modum. Prima pars à primordio rerum extenditur uſque ad diluuium. Cui Adamum appoſui indicem, qui maximam eius numeri partem uixit. Cui congruit ætas mundi, nota reſolutione primi ſigilli, & primi claſſici. Ei reſpondet prima pars incarnati Meſſiæ: quam inſigni-

ui titulo ipſius CHRISTI *principis.Cui recte conueniunt, quæ ad reſolutionem quarti ſigilli & quarti claſsici pertinent.*

Secunda ſectio extendit ſe à diluuio ad centeſimum Abrahæ annum, quo ſuſcepit ex Sara coniuge Iſaacum filium promiſsionis, eſtq; factus pater utriuſque Iſraelis tum ſpiritualis tum carnalis. Cui aptata eſt reſolutio ſecundi ſigilli. Eiq; opponitur ſecunda pars temporũ CHRISTI, *à Conſtantino Magno uſque ad ultimos annos Gregorij Magni, quando eccleſia reſpirauit aliquãtulum à grauiſsimis perſecutionibus. Cui non repugnat reſolutio quinti ſigilli, & quinti claſsici.*

Tertia portio progreditur à nato Iſaac uſq; ad politiam Moſaicã. Ei ex aduerſo poſui tempora, quæ currunt à morte Gregorij Pontificis, & initio regni Phocæ imperatoris uſque ad milleſimum annum, quo effractis omnibus prope carceribus & uinculis, ſatan in mundo rurſum præualuit, ut ante prædicationẽ Euangelij: atque reperiens domũ ſcopis mundatã, adſumptis ſeptem ſpiritibus, domiciliũ uetus in mundo rurſum inuadẽs, peiora deſignauit quàm antea. Quo tempore notis numerorum χξϛ *uel* DC.LX.VI. *hoc eſt, annorum 666.Dominus* CHRISTVS *præmonuit, expectandam eſſe*

per-

perniciem iſtam Chriſtianæ reipub. regem locuſtarum, quem Abadon, & ἀπολλύοντα, hoc eſt, Vaſtatorē appellat, ac beſtiam. Ex numeris aūt dicit conſtare nomen eius, & nomen eſſe hominis: ut ſi literas DCLXVI cōpingas in propriū nomen Germanicæ linguæ LVDVVIC: utq; Lateranus Ebraicis literis eundem numerum DCLXVI referentibus, ſcriberetur לאט ע רנרש. Quod uetuſtiſsimi patres, & diſcipuli eorum, qui audierunt Ioannem, dixerunt λατεῖνος, recentiores autem Mahumedis nomen inde compoſuerūt, alij uero alia. Quare aptiſsimum ſignum erit eius temporis Abadon, quod notat iſtum Belial filium perditionis, hominemq; peccati: qui filios etiam ſuos habet, ut Abraham filios habet, quæ fidei ipſius ueſtigia ſequuntur. Illis temporibus peraccommodum eſt ſextæ tubæ claſsicū, & ſigilli ſexti reſolutio.

Quarta pars complectitur pulcherrimā politiā Iſraelis, ſub ducibus & trib. regibus, quam Deus per Moſen inſtituit latis optimis legibus, uſque ad ſchiſma reip. in duo regna Iſraelis & Iuda. Cui reſpondet ad unguem reſolutio tertij ſigilli, quum ad libram diuini uerbi omnia expendenda fuerunt. Repugnat autem ſæuiſsima diaboli tyrannis ab anno milleſimo ad Turcarum imperium. In quo tempore multum fuiſſe

cacodæmoni poteſtatis in mundo, et in ipſa etiã eccleſia Romana, quæ ſibi uendicat primatum, non ignorabit, qui uiderit Syluestrum Papam magnum à dæmone in ſacello ſuo ſtrãgulatum: quæq; geſſerit Heldbrandus, Gregorius ſeptimus, & alij. Hunc terminũ quia mors Sylueſtri magi attingit, millenarium iſtum notet ſanè oppoſitus Moſi duci fideliſſimo in domo Dei, Syluester magus perditiſſimus.

Quinta pars à defectione Iſraelitarum & ſchiſmate pernicioſo, perueniet uſque ad reſtitutionem per Cyrũ: notata Hieroboami nomine. Cui reſpondet tempus, quo bubulcus Otthomannus ἀνατολὴν, hoc eſt, orientalem partem Conſtantinopolitani imperij, quam Natoliã uocant, Chriſtianis ereptam, Mahumedicæ ſuperſtitioni ſubdidit. Vt ſeruus & baiulus Hieroboam, arripiens regnum x. tribuũ, nouos cultus inuexit, uſque ad 10. annũ Bonifacij noni Pont. Quo tempore ſedes Rom. Auenionem in Gallias translata, ianuã aperuiſſe uidetur ſchiſmati, quod tres papas tãdem peperit. Hoc tempus inſigniui titulo Otthomanni.

Sexta pars continet reſtitutionẽ Iſraelis per Cyrum Perſam, qui CHRISTI figuram geſſit, etiam uocatus Meſſias, quanquam ethnicus homo. Quæ tamen reſtitutio per ipſum CHRI

STVM

STVM eſt perfecta, per Cyrũ utcunq; inchoata. Huic reſpondet ultimũ tempus eccleſiæ reformãdæ, ſicut promiſit fidelis Dominus Apoc. 10. Sed quia reformari & inſtaurari nõ poſſunt res Chriſtianæ, niſi quæ cõtraria ſunt, detegantur, iudicentur, damnentur, denique tollantur è medio: CHRISTVS autem percutit terram uirga oris ſui, & ſpiritu oris impium iſtum conficit, datq; ſuis fidis ſeruis os, linguam, calamum, hoc eſt, ſuum æternum uerbum, cui aduerſarij nequeunt reſiſtere: conueniens erit nota illius ſextæ partis Sigmundus, quod ſonat os uictorioſum. Cui cõpetit tuba ſeptima, ſeptimiq; ſigilli reſolutio. Quam reformationem ſub Sigiſmũdo inchoatam, CHRISTVS iterum ueniens in terras cum angelis ſuis, in gloria Dei patris abſoluet atque perficiet: quum repurgabit ipſe aream ſuã, & paleas conijciet in ignem, triticum autem congregabit in horrea cœleſtia: quum ſegregabit oues & hœdos ſui gregis: quũ repudiatis procul omnibus impijs, & detruſis in tenebras exteriores, uocem illam repetet: Venite benedicti patris mei, poßidete regnum paratum à conſtitutione mundi: tradetq; regnum patri cœleſti, ut ſit Deus omnia in omnibus. Amen.

SVM-

SVMMAE PARTES ANNOrum mũdi, à rerum uniuerſarum primordio: qui ſunt 5529. Cycli lunares 290. anni 9. Cycli ſolares 197. anni 13. Iubilæi 112. anni 41. Cycli magni 10. anni 209.

Adam	1656	CHRISTVS	310
Noe	392	*Conſtantinus*	290
Abraham	400	*Abadon*	400
Moſes	516	*Syluester*	300
Hieroboam	555	*Otthomannus*	100
Cyrus	560	*Sigmundus*	150
Summa	3979	*Summa*	1550

Omnium autem finis appropinquabit. Eſtote itaque prudentes, & uigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuam charitatem in uobiſmetipſis continuam habentes.

1. Pet. 4.

FINIS.

CASTIGATIONES LIBRI De ratione temporum, Theodori Bibliandri.

Quia nulla diligentia ſatis cauere poteſt, ut non aliquæ mendæ ſurrepãt inter ſcribendum, uti cõuenit hoc quoque remedio, quod maiores nobis monſtrarunt, in hoc opere: ut mendæ indicentur, ac reponatur ſyncera lectio. non ut ſuperſtitioſe indicẽtur, quæ facile quiuis animaduertit: ueluti quũ c ponitur pro t, ut in otium, negotium, ſpatium, pretium: aut litera maiuſcula pro minuta: ſed ea notanda ſunt, quæ uel tantillum remorari lectorem potuere. Notat au*tem a ſupremam folij partẽ, b mediam, c imam.*

Locus		Mendæ	Caſtigata lectio.
1	*a*	*non poſſunt reduci*	Adde, *ſine hac doctrina*
2	*b*	œcomenico	œcumenico
3	*c*	patem	partem
5	*b*	*& doctrin.*	*tum doctrin.*
6	*b*	Quã beati Moſis ſcripturam	*Multa ſunt omiſſa. Tẽporis aũt diſcrimina ex motu corporũ cœleſtiũ deriuari, oſtendit* Moſes *theologus ſummus,* Geneſ. 1. Dixit Deus, Fiant luminaria, &c.

L.	M.	C.
11	b lib. 15	Adde, de Ciuit. Dei
14	c quantatem	quantitatem
15	b minutatur	minuatur
15	c חלקים	חלקים hhalakim
21	d λάμπαντος	λάμποντος
24	c quater in	quaterni
27	b horizontis loco	ab horizonte æqualiter diuiſum.
31	c reſpuunt	reſpuit & requirit
35	b Scythia	Cinthia
36	c morato	morata
39	b explicare prima	explicaui primæ
41	b ſeptuaginta	ſeptuageſimam
42	b decrcuerunt	decreuerunt
45	a celum	cœlum
47	b aeris	acris
	c ſeruiret	ſeruiet
50	b proximo	proximè
	ib. $365\frac{1}{2}$	365
52	b ראדר	ואדר
	c fructum	fructuum
	ib. tebet, h con.	tebeth, con.
53	a Cicanos	uicanos
	c æquinoctij	Adde, autumnalis
60	b antiquißimum	antiquißima
62	c ſecundam	ſecundum

pul-

L.	M.	C.
63 a	pullulationem	pullulatio
64 a	concilo	concilio
65 a	ſextus	ſextum
67 b	peruerterit	peruertit
72 b	Zin	Ziu
77 c	Muſsilm	Muſſul.
78 c	quoque	quaque
80 b	ſumunt	ſumant
82 a	ὑπερεταιȣ	ὑπερβερεταίȣ
84 b	admouens	admonens,
86 b	circumeo cõpo.	dum componitur
89 a	menſtrum	menſtruum
92 b	ſeptimanum	ſeptimanas
98 a	notandas	notandis
99 b	שמטח	שמטה
100 c	principium	principum
103 b	48	19
104 a	ייבל	יובל
106 b	appellat	appellant
109 a	quæ	quos
110 a	religionis	religioni
112 a	616	516
ib.	ſeptimanæ	ſeptem'ue
113 c	interciderunt	inciderunt
114 c	uerſus	plus minus
118 c	uni	una
119 b	ultimus	Adde, non ter tertius

ib. no-

L.		M.	C.
ib.		*nonoq́;*	*eiq́;*
	c	*prouiuidentia*	*prouidentia*
120	*c*	*Nabonnegar*	*Nabonogarij*
121	*a*	*quoque*	*quiq́;*
126		560	550
128	*b*	*exponendus*	*exponendis*

*Ad cætera æquus lector faci-
le conniuebit.*

THEODORVS BIBLIANder *Ioanni Oporino* S. D.

INtemperantis hominis eſſe iudico, & abutentis otio tum ſuo tum alieno, ingerere hominibus ſtudioſis libros ſuperuacuos tam de ſacris rebus, quàm prophanis. Id an mihi quiſquam uellet imputare, publicanti rationem temporũ poſt tot ſcriptores hiſtoriæ atqꝫ temporum, uolui experiri libello, quē ad te miſi Oporine cõpater obſeruandiſsime, ut in officina tua imprimeretur.

Eſt ipſum quidem argumentum inprimis dignum, quod diligentiſsimè explicetur, & cognoſcatur: In quo etiam exponendo ſummi uiri in eccleſia Chriſtiana & extra illam, labores non paruos impenderunt. Nam ut ſilentio prætermittam Diodorum Siculum, Polybium, Thalum, Caſtorem, Phlegontem, Chæremonem, Demetrium, Manethonem, Metaſthenem, Beroſum, & alios multos ethnicos: in nullo propemodum argumento eccleſiæ Chriſtianæ doctores ſtudioſius uerſati ſunt, quàm in explicanda ratione temporum. Non certè ut tempus perderent, aut fallerent otium, ſed ut rationes temporum expediendo, ſtudioſis ueræ ſapientiæ pluri-

mùm commodarent. Ego certè autoritate hominum excellentiũ,qui olim, & qui noſtro ſeculo chronologiam tractarũt,& aliquo rerum uſu in eam ſententiã adductus ſum,ut cenſeam hoc doctrinæ liberalis genus & utilius & magis neceſſariũ cognitu eſſe, quàm notitiã menſurarum, ponderũ, & numerorum. Sine qua doctrina tamen, quantæ ſunt tenebræ in omnibus ſcriptis tum ſacris tũ exteris? Etſi uerò de utilitate eius rei nõnihil dixi libro priori, exiſtimo tamen Oporine frater chariſsime,non fore ingratum tibi, ſi uerbis theologorum exponam, quàm pernicioſus ſit error in ratione temporum,et quàm utilis ſcientia ueritatis. Theophilus etenim epiſcopus Cæſarienſis, & uicinus Apoſtolorum temporibus, in ſynodica epiſtola, quam ſuo & epiſcoporum Palęſtinæ nomine ſcripſit aduerſum eos, qui decimaquarta luna cũ Iudæis paſcha celebrabant, hæc ponit uerba: Si annum qualem quærebas,in loco quẽ putabas,inuenire nõ poteris,uel chronographorum incuriæ, uel tuæ potius tarditati culpam adſcribe. Tãtum diligentiſſimè cauens,ne chronicorum ſcripta defenſando, intemerabile legis uel Euangelij teſtimonium uidearis impugnare: dicendo Dominum ſaluatorem uel 15. uel 16. imperij Tiberij Cæſaris, uel 29. aut 30. ſuæ ætatis anno

ſacro-

ſacroſanctum crucis ſubijſſe myſteriũ: cum euangelia manifeſtè ſignificent, 15. anno Tiberij præcurſorem Domini prædicare cœpiſſe, ipſumq́ mox inter alios baptizaſſe Ieſum, incipientem iam fieri quaſi 30. annorum. Et Beda presbyter uenerabilis in eandem ſententiam ſcribit, cap. 45. de rerũ natura. Locutus enim de exacto calculo Dionyſij Romani abbatis, ſubijcit: Age Deo gratias: quia quod quærebas, ſicut ipſe promiſit, te inuenire donauit. Nam quod Dominus 15. luna, feria ſexta crucem aſcenderit, & una ſabbathorum, id eſt, die Dominica reſurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare catholico: ne legi, quæ agnũ paſchalem decimaquarta die primi menſis ad ueſperam immolari præcepit, pariter & euangelio, quod Dominum eadem ueſpera tentum à Iudæis, & mane ſexta feria crucifixum ac ſepultum, prima ſabbathi reſurrexiſſe perhibet, uideatur incredulus. Quod autem 8. Calendarũ Aprilium crucifixus, 6. Calend. earundem die reſurrexerit, multorum latè doctorum eccleſiaſticorũ conſtat ſententia uulgatum. Quæ certè uerba excellentium theologorum docent, in ratione temporum poſitum eſſe, ut quis non catholicus & orthodoxus, ſed cacodoxus & hæreticus poſſit iudicari, ſi falſa opinione ſeductus, in temporum indicio diuinæ

ſcripturæ repugnet. Auguſtinus quoque libro ſecundo Chriſtianæ doctrinæ, cap.28. ſcribit ad hunc modum: Quicquid de ordine temporũ tranſactorum indicat ea, quæ appellatur hiſtoria, plurimũ nos adiuuat ad ſanctos libros intelligendos, etiãſi præter eccleſiam puerili eruditione diſcatur. Nam & per Olympiadas, & per conſulum nomina, multa ſæpe quæruntur à nobis. Et ignorantia conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nõnullos coegit errare: ut putarent quadragintaſex annorum ætate paſſum eſſe Dominum: quia per tot annos ædificatum eſſe templum, dictum eſt à Iudæis, quod imaginem Domini corporis habebat. Et annorum quidem ferè triginta baptizatum eſſe, retinemus autoritate euãgelica. Sed poſtea quot annos in hac uita egerit, quanquam textu ipſo actionũ eius animaduerti poſſit, tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de hiſtoria gentium collata cum Euangelio liquidius certiusq́; colligitur. Vides Oporine chariſſime, quorſum abducat ignorantia temporum: quàm multi principes in eccleſia Dei uiri expoſuerint tẽpora, & quòd eam notitiam dirigi oporteat ad ſanctam ſcripturã ueluti normã & amuſsim, collata interim hiſtoria ethnicorũ, ut omnia liquidius & certius perſpiciantur. Itaque hone-

ſtiſsimæ

ſtiſſimæ cauſæ me impulerũt ad hoc genus literarum, ut aggreſſus ſim ſcribere, tempo porum rationem accommodatam rebus Chriſtianis cognoſcendis & explicandis. Primùm quidem, ut indicarem, redarguerem, patefacerem, denique emendarẽ communem omnium ſcriptorum hiſtoriæ, & chronologorum errorem. Cõſtat enim ex tot ſcriptoribus Latinis, Græcis, Ebræis, barbaris, pauciſſimos conuenire in numero annorum ab origine mundi uſque ad natalem Domini IESV CHRISTI. Quanquam in annis etiam ſuccedentibus natali Dominico nonnunquam diſcrepãt. Hos igitur omnes uerum attigiſſe numerum annorum, minimè conſentaneum eſt. Hoc potius uerè dici poteſt, quod pace omniũ dixerim, poſt ſacros ſcriptores, qui nobis autore ſpiritu ſancto continuã & certã ſeriem temporum exhibuerunt à primordio rerũ uſq; ad ſeruatorẽ CHRISTVM, omnes hiſtoricos & chronologos falſum temporis modum renunciaſſe. Et alij quidem longius aberrauere à ſcopo ueritatis: alij, qui ſcripturæ ſanctæ libentius acquieuerunt, quàm aſtrologorum quorundam calculationibus, minus aberrarunt. Nullus tamen error admittendus, aut hic tolerandus eſt. Proinde ſcriptores nouos & ueteres, & inter eos aliquos etiam maximi no-

 minis,

minis, erroris conuincere, ac edere certum uerum'que numerum annorum, iudico equidem Oporine compater humaniſſime, opus eſſe, in quod literarum bonarũ profeſſores toto pectore incumbant, & uos typographi ueſtram operam atque diligentiam accommodetis.

Deinde in chronographis, pręſertim recentioribus, requiro ſæpe iudicium, hoc eſt delectum, & modum, & accommodationem: interdum etiam diligentiam, & animi candorem atque ingenuitatem. Iudicium quidem deſidero, ac primùm in autoribus & rebus delèctum, quia non attendunt, cui autori, quibus in rebus plus aut minus fidei debeatur, & à quo indicatio rerum maximè petenda ſit. Deinde, quod uulgare prouerbium de muneribus capiendis monet, in temporum ac rerum notatione magis etiam eſſe obſeruandum cenſeo, ut neque ab omnibus, nec omnia, nec ſemper, nec ubique ſumantur. In qua parte aliqui non leuiter àberrant, dum res leuiculas, & quæ nihil momenti adferunt ad rectè iudicandum de rebus diuinis aut humanis, & ad bene uiuendum, moroſe perſequũtur: utiliſſima uerò prætereunt. In modo illud deſidero, quod plurima explicant fuſe, nõ ut chronologi, ſed ut iuſtæ hiſtoriæ ſcriptores: quædam leuiſſimè

ſimè attingunt, ſine indicatura circumſtan tiarũ. Et ut pauciſſimis uerbis utar, requiro eum modum, quẽ nobis hiſtoria ſacra demonſtrat. Accommodationẽ præterea deſidero, quia multi neq; certum ſcopum ſibi proponunt, neque res notatu dignas ad eum dirigunt. Siue autem quis chronologiæ & hiſtoriæ ſcopum res Chriſtianas præfigat, ſiue ſapientiam, aptè ad hunc finem ſingula uelim deſtinari & collimari. Etenim in hac graui & diuturna cõtrouerſia Chriſtianorũ & omnium gentium atq; profeſsionum, uel dijudicanda uel componenda, nihil eſſet aptius, quàm extare chronologiã, quæ bona fide, ac idoneo modo commemoraret ab origine rerum uſq; ad noſtra tempora, quibus operibus, & rationibus ſe Deus mundo patefecerit, ſuam bonitatem, ſapientiam, potentiam, iuſtitiam, ueritatem immutabilem, in dictis & actionibus conſtantiam, totam denique ſuã naturam oſtendendo: Quæ'que commemoraret doctrinæ Chriſtianæ, & religionis, & eccleſiæ ortus, progreſsionem, uiciſsitudines in hominibus circa res perpetuò ſui ſimiles. Poſtremò diligentiam non abſq; re deſidero eam, quæ autores plures conferret inter ſe uno de negotio ſcribentes, ac mendas codicum inquireret, deprehenderet, manifeſtaret, tolleret. Vbi candore ſin-

gulari opus eſt, & animo libero, ut neq; ex affectu priuato quicquam celetur, aut defendatur, aut carpatur: neque temerè ſequaris eos, qui ſcribentes chronologiã aut hiſtoriam, quam ueritatis diſcipulam & magiſtram eſſe conueniebat, ſuis affectibus & opinionibus uanis nimium indulſerunt.

Sed de his hactenus ſatis. Hoc quidem libro ſtatui errores chronologorum cõuincere & emendare, ac ſpecimen aliquod obiter exhibere illarum rerum, de quibus iam dixi. Quem librum Oporine rogo ut diligenter imprimas, tuo nomini dicatum & conſecratum, ob amicitiam noſtram ueterem: quæ multis tuis officijs & beneficijs in me collatis, ita eſt culta, ita cõfirmata & ſtabilita, ut ſæpe cogitem, an unquã reſpondere ſatis poſsim. Iterũq; te per amicitiam noſtram obſecro, & per ſtudium tuũ in bonas literas prouehendas obteſtor, ut hunc libellum edendo quàm emendatiſſimè, reſarcias, quod te abſente commiſſum eſt in priori excudendo.

Ac priuſquam aggredior chronologiæ deprauatæ emendationem, & explico demonſtrationes ab idoneis teſtib. acceptas, nominatim producendũ eſſe iudico Ioannem Caryonem, & qui eum in Canticis ſecuti ſunt, idq; admonendi cauſa, & defendendi homines innocentes, uiros bonos,

ciues

ciues honeſtos Heluetiæ, eccleſiæ CHRISTI fidos miniſtros, denique amicos & præceptores: ut alia uincula fraternitatis & Chriſtianæ neceſsitudinis taceã. Namq; Ioannes Caryon inter omnes Chriſtianos minutiſsimum poſuit numerum annorũ ab origine mũdi uſque ad incarnationem filij Dei, excepto Mirandulano, dũ Iudęos ſequitur. Ponit enim Caryõ annos in ſumma ter mille nongentos, quadragintaquatuor. Et ſubinde ingerit tanquã oraculum. Et in partibus non parum aberrat à uero. Ad hæc de noſtris hominibus uanè ac ſtolidè & impudenter, ne dicam etiam calumnioſe nugatus eſt. Cui tamen uiri quidam eruditi & boni crediderũt nimium, & impegerũt in eundẽ lapidem, per imprudentiam, non malitiam. Quod facile mihi perſuaderi ſino. Sunt tamen publicis ſcriptis innocentes defendendi, qui ſcriptis publicis præter ſuum meritum ſunt traducti ſeditionum, hęreſeos, et grauiſſ. criminũ titulo. Veluti D. Chriſtophoro Schappalero bonus Caryon impingit culpam ſeditionis, quæ anno hinc 26. miſerè afflixit Germaniam: & eundem uel ipſe Caryon excuſat, ſi uerba eius perpendantur. Neq; ignotum eſt, per quos, & ubi, & quando incendium iſtud excitatum fuerit: cum quib. hominibus D. Sertorius nihil unquã habuit

commercij. Hodie'q; uirum hunc longiſsi‑
mè abeſſe ab iſtis malis, noui ex colloquijs
familiariſsimis, ex tota ratione uitæ ipſius,
ex teſtimonio ciuium ipſius, optimorũ &
ſapientiſſimorum uirorum, denique ex te‑
ſtimonio totius eccleſiæ, quam hodie Chri
ſtiana doctrina, & ſanctę uitæ exemplo do
cet ſynceriſsimè, & ex teſtimonio ciuitatis
ipſius Sanctgalli, quæ optimis & Chriſtia‑
nis hominib. conſtans, D. Chriſtophorum
Schappalerũ non modò ut ciuem bonum,
ſed etiã ut CHRISTI præconẽ orthodo‑
xum & catholicũ, & ſuũ fidum in Domino
IESV CHRISTO miniſtrum agnoſcit.
Proinde qui Caryonis matæologia, non
chronologia, decepti, aliter quàm par fuit
de optimo uiro ſenſerunt, aut ſcripſerunt,
iam admoniti reſipiſcãt, & Chriſtianæ cha
ritatis officio proſequantur Sertoriũ, non
hoſtem eccleſiæ & CHRISTI, ſed bene
ac præclarè de patria & eccleſia meritum.
Dabis autem operam ſedulam Oporine,
ut ad eos perueniat uerior Schappaleri no
titia, qui falſiſs. nugis decepti fuerunt. Va‑
le optimè. Tiguri, VII. Idus no‑
uembres. MDL.

DE‑

DEMONSTRATIONUM CHRONOLOGICARUM

liber Vnus, quem ſcripſit Theodorus Bibliander.

ADAM.

A Condito mundo uſque ad uniuerſale diluuiũ, anni ſunt mille ſexcenti qnquaginta ſex.

In principio creauit Deus cœlum & terram ex nihilo, idq́; uerbo ſuo omnipotenti. Mox uniuerſitatis maßam diſtinguens & ornans, & ad uſus maximos adaptans, lucem & tenebras ſeparauit, illamq́; nominauit diem, has noctem. Et factum eſt ueſpere & mane dies unus. Geneſ.1. Hinc *eſt initium temporis.*

Secundo die fecit Dominus Deus *firmamentum, uel ut* Ebraica *lingua uocat, expanſionem atque extenſionem, poſuitq́; interſtitium inter aquas inferiores, quæ terræ infuſæ & circumfuſæ iam ſunt: & ſuperiores, quæ in ſublimi exiſtunt.* Vocauit *autem ſchamaim, quod cœlum* et *aerem & æthera ſignificat.* Gen.1.

Tertio die congregauit Deus *aquas inferiores in ſinus quoſdam & receptacula, quæ ma-*

ria &

ria & lacus uocantur, ut terra extaret ſuper aquas, quã uocauit iabbaſchah, id eſt aridã & ſiccam partem mundi: eamq; tellurem almam ornauit herbis, arboribus, fruticibus, & omnigenis plantis: quibus etiã indidit uegetabilem potentiam, ut ſeminib. ſuũ genus propagẽt. Gen. 1.

Quarto die fecit opifex mundi ſapientiſſimus, optimus, maximus, ſolem, lunam, cæterasq; ſtellas, & collocauit in cœlo, ut lucem infundãt mundo, & diſtinguant tempora, diem, noctem, menſes, annos, ſecula. Gen. 1. Simul enarrãt cœli gloriam Dei *architecti, & opera manuũ eius annunciat firmamentum: ut* Dauid, *ut* Paulus, *ut alij diuini homines ad contemplationem corporum cœleſtium nos excitant.*

Quinto die produxit Deus *uerbo ſuo præpotenti ex aquis piſces, oſtrea, & cætera aquatilia, nec non uolucres. Gen. 1.*

Sexto die procreauit Deus *ex terra quadrupedes & reptiles animãtes. Omniaq; creata uidens* Deus *parens, probauit, bona eſſe pronunciauit, in ſuam curam, prouidentiam, & gubernationem recepit, omnibusq; benedicens uim indidit uegetabilem, ad conſeruãdum & propagandum genus ſuum.*

Poſtremò autem, quum Deus *iam condidiſſet mundum, & digeſſiſſet ordine aptiſſimo, & exor-*

exornaſſet mirificè omnes partes, atque inſtruxiſſet omnibus opibus, & copia, hãc mundi amplißimam domum ſuam, creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Quam uerbum Dei & *filius conſubſtantialis adſumpſit in fine temporum, incarnatus ex ſpirituſancto, & homo natus ex* Maria *uirgine, iuxta æternum & arcanißimum* Dei *conſilium.* Et *corpus quidem finxit è limo terræ, & inſpirans immortalem animam, addidit ei uitam ac formam.* Mox *coſtam ſumptam ex latere hominis dormientis, formauit corpus, cui animam, ut uiro indidit: quam uir primò creatus uocauit* Iſchah, *uiraginem, quòd è uiro, qui uocatur* Iſch, *ſumpta eßet.* Viro *igitur adiunxit* Deus *fœminam, ut ſociam & adiutricem ad mutuam opem.* Vocauit *autem utrunque hominem* Adam, *quòd ex terra, ſeu humo, quæ ſermone* Ebraico *uocatur adamah, ſumpti eſſent.* Hos *protoplaſtos homines collocauit in paradiſo, loco amœnißimo, et omni rerum copia inſtructißimo, præficiens eos dominos omnium, & uictum idoneum aſſignãs, & legibus atque ſacramentis inſtruens, ut ſub obedientia* Dei *domini ac parentis clementißimi, tum ipſi, tum poſteri eorum feliciſſimè degerent ſempiternis temporibus.* Itaq; *ſexto die creauit* Deus *hominem ad imaginem*

ſuam:

ſuã: ad imaginem Dei *creauit illum: maſculum & fœminam creauit eos.* Et *benedixit eis, iubens mutua ope generare ac educare ſobolem, his uerbis:*Creſcite *& multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Verùm *eo ipſo die cacodæmonis aſtu ſub imagine ſerpentis, homines decepti, trãſgrediendo legẽ diuinam, & uiolato ſacramento, quod in arboribus duabus* Deus *propoſuerat, deguſtãdo pomum arboris ſcientiæ boni & mali, ſe atq; poſteros in mortem æternam coniecerunt. Sed ô immenſam* Dei *clementiam & bonitatem: redarguti homines peccati, eueſtigio recepti ſunt in gratiam* Dei, *promiſſo benedicto ſemine,* CHRISTO *nimirum, filio* Dei *æterno.* Qui *natus homo ex puriſsima uirgine, & factus obediens legi diuinæ, mortemq; crucis obiens, peccatum mundi expiauit, ac reſtituit uitam.* Quod *euangelium primum & æternum ipſe* Deus *pronunciauit his uerbis, erigendo ſimul perditos homines in certiſsimam ſpem ſalutis, & fiduciam in* Deum: *ſimul denuncians æternas inimicitias diabolo, qui fraudem ſtruxit per ſerpentem, animal aſtutiſsimum:*Inimicitias *ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuũ,*

& ſe-

& ſemen illius: ipſum conteret caput tuũ, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Inde *ſunt pro ſempiternis ſupplicijs tẽporariæ pœnæ inflictæ: ut corpus emoriatur, fœmina pariat cũ acerbiſsimo dolore, uir labore magno & ſudore uictum quærat: ſintq́; mortales in hoc mũdo exules, & ærumnis uarijs obnoxij.* Proinde *hominib. eiectis è paradiſo, adhibita eſt angelorũ cuſtodia: ne ulli pateat aditus ad arborẽ uitæ, ſuis quidem uiribus, ſed per merã* Dei *gratiã, donantis iuſtitiam, ſanctitatẽ & uitã æternã propter* CHRISTVM *filiũ* Dei *incarnatum, paſſum, crucifixum, et mortuũ.* Qui *deuicta morte, inferis, peccato, & ſatanæ imperio funditus euerſo, reſurrexit à mortuis, & aſcendit ad cœlos, ſedens ad dexterã* Dei *patris omnipotentis, inde uẽturus iudex in fine mundi: ut mortuis in uitam reuocatis, fideles & pij* CHRISTO *ſeruatori adhærentes accipiant uitam æternã, & fruantur beatitudine diuina ſempiternis tẽporibus: increduli autẽ & impij hoſtes* CHRISTI *& eccleſiæ, cũ diabolo et angelis eius detrudãtur in tenebras extremas, et ſempiterna ſupplicia. Cæterũ opus dei ſexto die pfectũ exponitur Gen.1.2.3.5.*

Septimo die, poſtquam Deus *mundi architectus & gubernator omnia creauit, cœlum, terram, mare, aerem, ignem, & quæcunque ex elemen-*

elementis conſtant, aut ſaltem in aliqua mundi parte degunt, quorum alia corporis mole carent, ut angeli, & anima hominis corpore ſoluta: alia ſunt corpora uel inanimata, ut lapides & metalla, ut elementa, ut cœlum, cœliq́; orbes & ſtellæ: uel animata, ut plantæ: aut etiam ſenſu prædita, ut animalia: requieuit Deus *ab uniuerſo opere.* Et *benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum.* Gen.2. *Vt opera* Domini Dei *ſemper quidem conſideremus cum ſumma gratitudine, & laudibus creatoris: maximè tamen ſeptimo die, uacantes interim à laboribus ſeruilibus, & meditantes quietem illam ſempiternã, quam cœleſtis pater in filio propoſuit, qui ſexto die moriens uitam reparauit, ſeptimo quietem egit in ſepulchro, & octauo reſurgens,* Do*minicum illum diem fecit celeberrimum.* Hæc *ſunt omnium rerum primordia, hæc initia & digeſtio temporum in dies, noctes, ſeptimanas, menſes, annos, anniq́; partes, & ſecula, & ætates mundi: hæc fundamenta & principia ſunt* Chriſtianæ *tum religionis, tum officiorum, tum doctrinæ, tum eccleſiæ.* Tunc *etiam erupit hoſtilitas ſatanica, & antichriſtiana conſpiratio aduerſus* CHRISTVM, *ſemen illud benedictum, & ipſius eccleſiam: quæ eſt angelorum ſanctorum & hominum fidelium ſocietas &*

com-

communio cum IESV Nazareno Meßia, & ſancto ſanctorũ. Proinde huic ætati primæ conueniunt aptißimè, quæ ipſe Dominus eccleſiæ ſuæ reuelauit cap. 5. 6. 8. Apocalypſeos, de apertione primi ſigilli, & claßico primæ tubæ.

Adam generat ex uxore, quam Euam, ſeu Hhaua, hoc eſt, uiuiparam nominauit, credens diuinæ promißioni (quippe matrem uiuentiũ, & non æterna morte pereuntium) Cain filium, ſecundum imaginem & ſimilitudinem ſuam, Gen. 1. anno mundi 15. ut Ebræi tradunt, & eccleſiæ doctores non reſpuunt.

Abel autẽ naſcitur ex Adã et Eua, anno mundi 30. ut tradunt Ebræi, Epiphanius, Galatinus.

Cain inſtigatus à diabolo, qui non perſtitit in ueritate, ſed ab initio fuit homicida, & mendax, & pater mendacij, occidit fratrẽ Abelem, Gen. 4. anno mundi circiter centeſimo, ut Epiphanius docet ex maiorũ traditione. Abel igitur eſt protomartyr eccleſiæ, occiſus à fratre, quia uideret ſacrificiũ Abelis in fide ſacrificantis placere Deo, ſuum autẽ non gratũ eſſe Deo.

Seth naſcitur anno 130. Adami patris. Gen. 130
5. Tunc cœpit nomen diuinum tribui creaturis.

Enos, uel Enoſch, naſcitur anno 105 patris 105
ſui. Geneſ. 5.

Cenan, uel Cainan, naſcitur anno 90 Enos. 90
Gen. 5.

70 *Malaleel, uel Mahalaleel, naſcitur anno* LXX *Cenan. Geneſ.5.*

65 *Iared, uel Irad, naſcitur anno* LXV *Malaleelis. Geneſ.5.*

162 *Enoch, uel Hhanoch, naſcitur anno* CLXII *Iared. Annũ autem agens* CCCLXV, *translatus eſt à* Domino. *Gen. 5. Quod clariſſimum eſt argumentum futuri ſeculi, editum anno mundi 987. Poſt cuius translationem, annus* XIII,
M. *poſt mortem autem Adami* LXX, *eſt milleſimus à condito mundo*

65 *Mathuſalem, ſiue Mathuſchălabh, naſcitur anno* LXV *Enoch. Gen.5. omnium hominum annoſiſſimus, 969 annorum.*

187 *Lamech naſcitur anno* CLXXXVII *Mathuſalem. Gen.5. primus bigamus.*

182 *Noe naſcitur anno* CLXXXII *Lamech, uir iuſtus in generatione ſua. Gen. 5. præco iuſtitiæ, ut Petrus uocat.*

600 *Diluuiũ Deus immiſit uniuerſo mundo, anno ætatis Noe* DC. *quum abundauiſſet omnis inquitas inter homines, nec poſſent ulla ratione ad pœnitentiam adduci. Gen. 6. 7. 8. Eſtq́; editum exemplum iudicij & iræ Dei aduerſus omnem impietatem. Initio eius anni mortuus eſt Mathuſalem. Dies autem, quibus inundatio durauit, ſunt 375. hoc eſt, annus, dieſq́; decem.*

NOE

NOE.

A' diluuio uſque ad annum centeſimũ Abrahæ, quo natus eſt ei filius promißionis Iſaac, anni ſunt trecenti nonaginta duo.

Noe anno ætatis ſuæ DCI, *à primordio rerum* MDCLVII *menſis ſecundi* XXVII. *die, ſiccata iam terra, egreßus eſt ex arca, Deo iubente, cum filijs & nuribus, & uxore ſua, & omnibus animãtibus, quæ in arca ſeruata ſunt: Deoq́; ſacrificauit. Quãdo fœdus inter Deum & homines renouatum eſt, & ſancitũ ſigno cœleſtis arcus. Gen. 8. 9.*

Quum Noe uite reperta ebrius eſſet factus, & dormiens uerenda nudaſſet, Cham filius irriſit eum, Iapheth autẽ & Sem reuerenter texerunt. Quare expergefactus Noe, ſententiã tulit in filios et poſteros, ediditq́; uaticiniũ, quo fauſta ominatur Sem et Iapheth filijs ſanctis: infauſta uerò Cham, eius filiũ Chanaan maledicens. Proinde huic ætati quadrant, quæ Apocalypſis Domini IESV *cap. 6. & 8. cõmemorat de apertione ſecundi ſigilli, & claßico tubæ ſecundæ.*

Sem centenarius, altero anno poſt diluuium genuit Arphaxad, ſiue Arpachſchad, filium ſuũ tertium. Geneſ. 10. & 11. 2

Sale, ſiue Schälachh, naſcitur anno XXXV *Arphaxad patris ſui. Gen. 11.* 35

30 *Eber, à quo Ebræi denominantur, naſcitur anno 30 Salæ. Gen. 11.*

34 *Phalech, ſiue Päläg, naſcitur anno 34 Eber. Geneſ. 10.11. Quod nomen fatale eſt, ſignificans diuiſionẽ, eo quòd ipſius ætate ſit diuiſa terra.*

ORIGINES POPVLORVM & gentium, & in primis Aſſyriæ monarchiæ.

Filios & nepotes Noæ, è quibus uniuerſi homines progenerati ſunt, enumerat Moſes 10. cap. Geneſeos: undecimo autem capite memorat, ut conſtructa turri & urbe Babylonica, lingua una communis omnium partita ſit in multas, homines quoque diſperſi per totum orbem. Eam diuiſionem Auguſtinus, Beda, & alij nõnulli accommodant natali Phalech, qui incidit in centeſimum primum annum à diluuio. Beroſus, quem Paulus Phrygio, & alij quidã ſequuntur, aptat anno triceſimo Phalech, quãdo natus eſt ei Reu. Chronicon Ebræorũ maius ponit diuiſionẽ anno CCCCXL. poſt diluuium, quando mortuus eſt Phalech, & Iſaac natus fuit annos octo. Epiphanius in ſermone Ancorato, conſtructionem turris ponit ad Eber, diuiſionẽ linguarum ad Phalech. Porrò in primo libro contra hæreſes, ad Seruch, uel Sarug collocat idololatriæ initium, & Græciſmũ, et turris ædificiũ.

Beda

Beda illud explicat hoc modo: His temporibus primùm templa conſtructa, & quidam principes gentium tanquam dij ſunt adorati. Cæterùm quia filij Iectan fratris Eber recenſentur à Moſe inter genarchas, ualde probabile eſt, diuiſionem non eſſe factam ante annum Phaleg triceſimum. quod Metaſthenes confirmat.

Epiphanius autem ſortitionẽ terræ hoc modo explicat: Quum relictus eſſet Noe, & tres ipſius filij, quia fuit iuſtus, & conatus eſt filios etiam pios efficere, ne in eadem mala inciderẽt, in quibus perijt mundus per diluuium, non ſolum per doctrinam ipſis pietatem propoſuit, ſed etiam per iuſiurandum ab unoquoque ipſorum beneuolentiam erga fratrem exegit. Et diuidit quidem uelut hæres mundi à Deo conſtitutus, tribus filijs ſuis uniuerſum mundum ſub ſortem miſsum, & unamquãque partem iuxta ſortem ſingulis diſtribuit. Et ipſi quidem Sem primogenito cecidit ſors (quæ facta eſt in confinio Aegypti & Aſiæ, qui locus Nahhalah, uel Neel, hoc eſt, hæreditas Ebraicè uocatur, apud Rhinocorura) à Rhinocoruris ad Perſidem, Bactra, & Indiam uſque: Chamo terra obuenit à Rhinocoruris uſque ad Gadira, ad meridiem: Iaphet obtigerunt ea quæ ſpectãt Aquilonem, à Rhinocoruris uſque ad Gadira & Mediam.

Mundo itaque trifariam diuiſo, iuſiurandum exactum eſt ab ipſis per patrem, ut nullus ex ipſis fratris ſortem inuaderet: & qui tranſgreſſus eßet iuriſiurandi præceptum, per iuſiurandum exterminaretur, et uniuerſum ſemē ipſius. Et *primo libro: Quinta generatione poſt diluuium, quum multiplicarentur iam homines, ex tribus filijs Noe, per ſucceßionem filiorum filij geniti ſunt ſeptuaginta duo, principes & capitanei in mūdo. Et paulo pòſt: Inter Eber & Phalec, & turris ædificationem, ac primam urbem poſt diluuium extructam, in ipſa ædificatione principium de cætero conſultationis accipit Nemrod, de congregatione ac tyrannide. Hunc dicunt Græci Zoroaſtrem, inuentorem aſtrologiæ & magiæ. Cæterùm Nemrod & Zoroaſtres non longè inter ſe diſtant tempore. De huius tyrānide Moſes ita ſcribit 10. cap. Filij Cham, Chus, Miſraim, Phut & Chanaan. Chus genuit Nemrod. Ipſe cœpit eſſe potens in terra: Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arah, & Acad, & Calane in terra Sennaar. De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificauit Niniuen, et reliqua. Igitur à Cham deſcendunt Aegyptij, Aethiopes, Numidæ, Mauri, Babylonij: à Sem Indi, Medi, Perſæ, Iſmaelitæ, Armenij, Iſraelitæ: à Iapheth Scythæ, Turcæ, Sarmatæ,*

matæ, Græci, Itali, Romani, Germani, & qui tenent Europam cum adiunctis inſulis. Metaſthenes Perſa prodidit ex Beroſo Chaldæo, ante Ninum regnatũ annis CCXXXXVIIII, ſub tribus dijs regibus. Ogyges præfuit inundationi aquarum, & imperauit orbi uniuerſo annos CXXXIII. Is utique fuit Noe, gubernator orbis uſque ad diuiſionem, uel potius confuſionem Babylonicam. Saturnus fundata Babylone regnauit annos LVI. Is nimirum eſt Nemrod, robuſtus uenator coram Domino. Eius filius Belus Iupiter, regnauit annos LXII Beli filius Ninus, qui Niniuen condidit, regnauit annos LII. Cuius anno XXXXIII, hoc eſt poſt diluuium CCCLXXXXII, naſcitur Abraham, ut Euſebius quoque ſcribit. Is primus omnium toti Aſiæ, Indis exceptis, imperauit, ac Zoroaſtrem Bactrianorum regem uicit.

Reu naſcitur anno XXX Eber. Gen. 11. 30

Saruch, ſiue Serug naſcitur anno XXXII 32 Reu. Gen. 11.

Nachor naſcitur anno XXX Sarug. Geneſ. 11. 30

Thare, uel Thärahh naſcitur anno XXIX 29 Nachor. Gen. 11. Is primus finxit ſimulacbra ex luto, Epiphanio teſte.

Abrahã naſcitur anno LXX Thare. Gen. 70

11.Primã uerò ætatẽ egit in patria Chaldæa, in oppido Vr, quam Orchoam uocat Ptol. Philo.

MM. Annus Abrahæ 51. ut Euſebius ſcribit, ut exactior calculus demonſtrat, annus LII, eſt bis milleſimus à condito mundo. quo tempore Abrahamum uocatum fuiſſe à Deo ex patria in terram Chanaan, & ad religionem ueram, tradunt Ebræi. Anno autem XXXXXVIII Abrahæ, moritur Noe.

70 Anno ætatis LXX fœdus percußit Deus cum Abrahamo, ut Ebræi magno conſenſu tradunt. Quando nimirum euocatus eſt oraculo, ut Gen. 12. ſcribitur: uenitq́; cum patre Thare, & uxore Sara, & nepote Lot in Meſopotamiam, in oppidum Charras, uel Haran. Inde digreſſus eſt patre ſuperſtite, annum agens LXXV. ut Moſes clarißimè indicat Gen. 12. A' quo tempore ſunt numerandi anni CCCCXXX. nempe à ſeptuageſimo anno Abrahæ, quo ſecutus oraculum diuinum reliquit patriã, uſque ad liberationem ex Aegypto. De quibus loquitur Moſes Exodi cap. 12. Habitatio filiorum Iſrael, qua manſerunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Et Paulus 3. cap. ad Galatas: Hoc autem dicò, teſtamentum cõfirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit ad eua-

ad euacuandam promiſsionem. Ioſephus *non attendens figuram narrationibus familiarem, ut quædam prius aut poſterius exponantur, quàm ordo naturalis ferat, ſcribit in primo libro* Antiquitatum, *Abrahamū anno* LXXV *reliquiſſe* Chaldæam,*et ueniſſe in* Chananæam: *& in eam opinionem adduxit* Epiphanium,Euſebium. Chryſoſtomum, Auguſtinum, *& alios.* Sed *errorem* Ioſephi Moſes *penitius conſideratus redarguit:et* Stephanus *protomartyr,* Actorum *ſeptimo capite:*Deus *gloriæ apparuit patri noſtro* Abrahæ, *cum eſset in* Meſopotamia, *priuſquam moraretur in* Charran, *& dixit ad illum:*Exi *de terra tua,& de cognatione tua,et ueni in terram, quam monſtrauero tibi.* Tunc *exijt de terra* Chaldæorū,*& habitauit in* Charran. Hæc Stephanus *ex* 12. *capite* Geneſeos. Porro Abraham *reuerſus ex* Aegypto, *profligatis regibus quatuor, pepigit fœdus cū* Deo, *quod* 15. *cap.*Geneſeos *deſcribitur:quum ageret annum plus minus.*LXXXV.

Iſaac *filius promiſsionis naſcitur ex* Abrahamo *centenario,&* Sara *nonagenaria.*Geneſ.17. 21. *Anno* XXV. *poſt diſceſſum è* Charran, *ut* Ebræi *annotarunt etiam.* 30

ABRAHAM.

A' *centeſimo anno ætatis* Abrahæ, *uſque ad*

Iſraelitarum liberationem ex tyrannide Pharaonis, anni ſunt quadringenti.

Abraham nonageſimonono circumciſus, Iſmaele agente annum XIIII, ſequenti anno ſuſcepit ex libera & matrefamilias Sara, Iſaac filium promiſſum. À quo tempore numerandi ſunt anni CCCC. de quib. loquitur oraculum Gen. 15. Scito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis: Generatione autem quarta reuertentur huc. Et Stephanus Actor. 7. Locutus eſt autem Abrahæ Deus, quia erit ſemen tuum accola in terra aliena: & ſeruituti eos ſubijcient, & malè tractabunt eos annis quadringentis. Et gentem cui ſeruierint, iudicabo ego, dicit Dominus: & poſthæc exibunt, & ſeruient mihi in loco iſto. Et dedit illi teſtamentum circumciſionis: & ſic genuit Iſaac, & circumcidit eum die octaua: & Iſaac Iacob, & Iacob XII patriarchas.

Et hos annos eſſe numerandos à nato Iſaac, ſicut 430. à uocatione Abrahæ uſque ad egreſſum ex Aegypto, probat translatio Græca ſeptuaginta ſeniorum, Exod. 12. Habitatio filiorum Iſrael, qua habitauerunt in Aegypto & in terra Chanaan, ipſi & patres eorum, anni CCCCXXX. Ioſephus etiam libro 2. Antiquitatum

quitatum, cap.13.de aſcenſu Iſraelitarũ ita ſcribit: Reliquerunt Aegyptum menſe Xantico, luna decimaquinta, poſt annos CCCCXXX, quàm pater noſter Abraham ueniſſet in Chanaan: poſt Iacob autem aduentum in Aegyptũ, anno CCXV. Sic enim habet codex Græcus: ubi tamen V anni ſuperſunt. Ad hũc modum Euſebius, Auguſtinus, & alij theologi partiũtur annos peregrinationis filiorũ Abrahæ. Exactius etiã ratiocinãtur Iudæi recentiores, ut chronographi, & Salomon Gallus celeberrimus doctor ſynagogæ, in commentarijs Geneſ.15. Poſt natum Iſaac uſque ad tempus, quo Iſraelitæ ſunt egreſſi ex Aegypto, anni ſunt CCCC. Nam Iſaac natus annos LX, genuit Iacob: Iacob agẽs annum CXXX, deſcendit in Aegyptum. Qui iuncti, fiunt anni CXC. Porrò in Aegypto fuerunt annos CCX. Qui numerus comprehenditur in uerbo ירד redu, hoc eſt, deſcendit. Is etiam numerus colligi poteſt ex annis Caath, Amram, & Moſis.

Iacob Patriarcha, qui poſt luctam cum an- 60
gelo cognominatus eſt Iſrael, à quo Iſraelitæ nomen habent, naſcitur anno LX patris ſui Iſaac. Geneſ.25.

Iacob declinans furorem Eſau, machinan- 77
tis eius necem, peregrè abijt in Meſopotamiam

ad La-

ad Laban auunculum, anno LXXX ætatis, ut Euſebius annotauit in Chronicis. Cæterùm ex annis Ioſephi & fratrum colligitur, anno LXXVII ætatis Iacobum peregrinatum eſſe. Quod etiam Demetrius Phalereus, diſcipulus Xenophontis, & regibus Aegyptijs familiaris, quando LXX interpretes legem tranſtulerunt, confirmat, & Chronica Ebræorum. Seruiuit aũt Iacob annos XX, ſeptem quidem pro uxore filia Labani Rachel: quibus exactis, ſubiecta eſt ei Lia ſoror: & alios ſeptem annos ſeruiuit pro Rachel. Intra quod ſeptennium generauit liberos XII. Inde ſex annos ſeruiuit pro ouibus: & reuocante illum Deo, Rachel apud Bethleem enixa Beniamin, moritur. Quæ liber Geneſeos indicat, cap. 28.29.30.31. Cœpit autẽ generare anno ætatis LXXXV. ut Demetrius prodidit: LXXXIII, ut Ebræi, ex quatuor uxoribus liberos ſuſcipiens.

Alexander Polyiſtor libro 9. Euſebij de Præparatione Euang. recitat omnium filiorum Iacob ætatem, idq; ex Demetrio, qui ex LXX interpretibus genealogias exactè perdidicit.

Leui naſcitur ex Lea. Gen. 29. anno decimo peregrinationis Iacobi, ſexto menſe, ut Demetrius tradidit. Is fuit annus ætatis Iacobi LXXXVII. ut Nicephorus etiã annotauit. Euſ. 89.

Iudas

Iudas naſcitur ex Lea, Gen. 29. *anno peregrinationis* XI. *menſe quarto*. Demetrius.

14 *Ioſeph naſcitur ex* Rachel, Geneſ. 30. *anno* XIIII, *menſe octauo*. Qui *fuit, iuxta calculum* Demetrij, *annus* Iacobi XCI. *Cui ſuffragatur* Euſebius *in* Chronicis. Beda *ponit annos* 80. Chronicon Ebraicū 89. *Inſignis typus* CHRISTI *ſeruatoris*.

17 *Ioſeph anno ætatis* XVII. *uenditur à fratribus, inuidia extimulatis, & in* Aegyptum *ductus, fit ſeruus pontificis* Heliopolitani. Gen. 37. Demetrius, Euſebius.

13 *Ioſeph quum pertuliſſet ſeruitutem & carceres, annos* XIII. *ſomniorum interpretatione innotuit regi* Aegyptiorum. *qui dat ei uxorem, filiam* Potipharis *pontificis, & præfecti capitalium rerū, & iniungit adminiſtrationem totius regni: quando* Ioſeph *egit annū* XXX. Gen. 41. Demetrius.

9 *Iacob patriarcha poſt ſeptem annos ubertatis, anno ſecundo famis urgentis & penuriæ, inuitante* Ioſepho, *ac rege* Aegypti, *iubente autem* Deo, *cū uniuerſa familia deſcendit in* Aegyptum, *anno ætatis* CXXX. Gen. 47. Demetrius, Ioſephus. *Quando, autore* Demetrio, Leui *annorum* 43 *fuit*: Iudas *annorum* 42. *menſium* 3. Ioſeph *annorum* 39.

17 *Iacob moritur anno ætatis* CXXXXVII. *Geneſ.*47.48.49. *relinquens* Ioſeph *ſuperſtitem annorum* LVI. *ut etiã annotauit* Demet.

54 *Ioſeph anno ætatis* CX, *moritur in* Aegypto. *Gen.*50. *Demetrius, Chronicon* Ebr. *Caba-la uerò teſtamenti* Leui, CXVIII.

23 *Leui natus annos* CXXXVII, *moritur in* Aegypto. Exod. 6. *Demetrius*, Seder Olam *maius*.

116 A' *morte* Leui *ad liberationem et aſcenſum* Iſraelitarum *ex* Aegypto, *ſunt* CXVI *anni, ut* Chronicon Ebræorum *minus, rectißimè colligit. Ante cuius mortem* Iſraelitæ *non ſunt oppreßi tyrannide* Pharaonis, *ut* Ebræi *annotarunt, conſentiente illis diuina ſcriptura*, Exod. 1. Act. *ſeptimo*. Qui *numerus* CXVI. *colligitur ex quatuor generationib. in domo* Leuitica.

Caath enim filius Leui, *deſcendit cum* Iacobo *in* Aegyptum, Gen. 46. & *mortuus eſt anno ætatis* CXXXIII. Exod. 6. *Anno autem ætatis* XXXIIII *patris* Leui *natus eſt, ut* Epiphanius *docet, nouem annis ante deſcenſum* Iacob *in* Aegyptum. *In teſtamento* Leui *annus* XXXV *ponitur. Ipſe autem ſexagenarius genuit* Amram, *ut annotauit* Nicephorus. Amram, *graſſante iam tyrannide, uxorem duxit* Iochabad *cognatam, ut* Exodus *teſtatur cap.* 2.

& De-

& Demetrius. Natus autem annos LXX, genuit Moſen, ut aſſerit Epiphanius, Euſebius, Nicephorus. quando ſoror Maria, minimum ſeptem annorum fuit: ut quæ cum filia Pharaonis prudenter colloqui potuit. Ideo probabilis admodum eſt traditio Ebræorum, afflictionem Iſraelitici populi durauiſſe annos LXXXVII. eiusq́; anno primo natam eſſe Mariam, & propterea uocatam Miriam, à מרירור meror, hoc eſt, à mœrore & amaritudine afflictionis. Cœpit igitur afflictio Iſraelis & Pharaonica tyrannis ſtatim, ut mortuus eſt Caath. Quod ſcripturæ teſtimonio comprobatur. Exodi enim primo cap. legimus: Mortuo Ioſeph, & uniuerſis fratribus eius, omniq́; cognatione ſua, filij Iſrael creuerunt. Interea ſurrexit rex nouus ſuper Aegyptum, qui ignorabat Ioſeph, & reliqua. Hinc beatus Stephanus in Apologia ſeptimo cap. Act. Deſcendit Iacob in Aegyptum ipſe, et defunctus eſt ipſe, & patres noſtri. Cum autem appropinquaret tēpus promißionis, quam confeſſus erat Deus Abrahæ, creuit populus, & multiplicatus eſt in Aegypto: quoaduſque ſurrexit alius rex in Aegypto, qui non ſciebat Ioſeph. Hic circumueniens genus noſtrum, afflixit patres noſtros, ut exponerent infantes ſuos, ne uiuificarentur. Eodem tempore natus eſt

Moyſes,

Moyſes, qui fuit gratus Deo.

Moſes erat octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti ſunt ad Pharaonem. Exod. 7. Hi *poſt multas actiones cum rege Pharaone et proceribus, poſt* X *grauißimas plagas inflictas* Aegypto, *poſt inſtitutum anniuerſarium ſacrum* Paſchatis, *quo liberatio per* IESVM CHRISTVM *fuit celebrata, menſe primo* Niſan, *qui* Aprili *reſpondet,* XV *die, populum* Iſrael *eduxerunt ex* Aegypto, *& aſſeruerunt in libertatem.* Exod. 12. *Is fuit annus* CCCC, *à nato* Iſaac: CCCCXXX, *ab egreſſu* Abrahami *ex* Chaldæa: DCCLXXXXII, *à diluuio*: MMCCCCXXXXVIII, *à condito mundo.* Q*uem numerũ ponit etiam* Chronicon Ebræorum *minus, & rabi* Abraham *in ſua* Cabala.

MOSES.

A' liberatione Iſraelis, *& aſcenſu ex* Aegypto *in terram promiſſam, uſque ad religionis & reipubl.* Iſraeliticæ *diuiſionem, anni ſunt quingenti ſedecim.*

40 *Moſes uir diuinißimus, & qui perſonam* CHRISTI *geßit, ſeruatur contra edictum regis ob fidem parentũ in* Deum, *exponiturq́; infans trium menſium in* Nilum. *Sed filia regis, quam* Thermutin *uocant* Ioſephus *&* Epiphanius,

nius, tollit, & loco filij educat, omniq; ſapientia Aegyptiorum erudiri facit, Exod. 2. Act. 7. Epiſtolæ ad Ebr. 11. Natus uerò annos XXXX, inuiſit afflictos fratres Iſraelitas, & uindicans Iſraelitam, cui Aegyptius uim inferebat, cæde facta profugit in Madian, iam ferēs opprobria CHRISTI: Exod. 2. Act. 7. Ebræ. 11. Anno autem ætatis LXXX, diuinis colloquijs adhibitus, ad gubernationem atque liberationē populi Dei uocatur. Meſsiam uerò Moſen repræſentaſſe, & ipſe Moſes teſtatur Deuteron. 18. & Stephanus Act. 7.

Porrò quum Iſraelem duxiſſet per deſertum uſque ad Iordanem, annis XXXX: ſcriptis libris quinque, uel potius theſauris ſapientiæ ueræ, & recitato Deuteronomio in concione totius Iſraelis, die primo undecimi mēſis, Deut. cap. 1. ualido etiamnum corpore mortuus eſt, & ſepultus à Deo in mōte Nebo. Deut. 31. Qui fuit dies ſeptimus Adar menſis duodecimi, ut Ebræi annotant.

Atque huic ætati quadrāt ea, quæ liber Apocalypſcos docet 6. cap. de apertione ſigilli tertij & claſsico tertiæ tubæ. cap. 8.

In tempore Iudicum eſt magna diſcrepantia Ebræorum, & eccleſiaſticorum patrū, & Græcorum, nec paruus error calculi. Quod eis ac-

m dit

cidit tũ alijs de cauſis, quas in priori libro expoſui: tũ maximè, quòd annorũ CCCCLXXX numerum, ab egreſſu ex Aegypto uſque ad templi fundamenta, quem ſacer liber hiſtoriæ Regum 3. cap. 6. oſtendit, non obſeruarunt, & quòd annos perſecutionum non incluſerunt in annis Iudicum, ut fieri oportet omnino. Quæ ſi obſeruemus, & ſcripturæ indicationem per ſingulos Iudices ſequamur, expedita eſt hîc quoque ratio.

Ioſue filius Nun Ephraimita, qui nomine Ieſu, & functionibus typum IESV CHRISTI prætulit, oraculo declaratus ſucceſſor Moſis, populum traduxit per Iordanem, & caſtrametatus eſt in Gilgal, menſis primi decimo die. Ioſue 4. cap. Euſeb. Hucuſque V. libri Moſis continent annos 3730 ſecundum LXX ſeniorum interpretationẽ: Principium quinquageſimi primi Iubilæi, ſecundum Ebræos: Sũt autem à condito mundo anni 2488. Iubilæi L: annis 49 pro Iubilæo uno poſitis: & præterea anni 38. Si 50 anni pro uno Iubilæo numerentur, deſunt anni XII: & non tantum VII, ut Beda ſupputat.

18 Cæterùm ſi ex 480 annis, qui exiſtunt ab aſcenſu Iſraelitarum ex Aegypto uſque ad templi fundamenta, ſingulæ partes detrahãtur, ipſi

Ioſuæ obueniunt anni duntaxat XVIII. Ioannes Lucidus aßignat ei duntaxat annos XVII. Ioſephus tribuit ei XXVI annos,ſicut et Beda. Idem Ioſephus indicat,ei quoſdã annos XXX concedere,ſicut fecit Eupolemus,Euſebio teſte. Cæterum Euſeb.in chronicis, Nicephorus,rabi Moſes filius Maimonis,XXVII.rabi Abrahã Cabaliſta,& Seder olam maius,XXVIII.Qui anni decerpendi erũt ſequentibus Iudicibus.Siquidẽ per ſynecdochẽ ſæpe anni pars pro toto anno ponitur. Auguſtinus lib.18. de Ciuit.Dei.

Poſt mortem Ieſu Naue, populus Dei Iudices habuit. Quibus temporibus alternauerunt apud eos,& humilitates laborum pro eorũ peccatis,& proſperitates conſolationum propter miſerationem Dei.

Othoniel ex tribu Iuda,liberauit Iſraelem è 40
tyrannide Cuſan riſcheathaim regis Meſopotamiæ,quæ durauit annos VIII.& geßit rẽpub. uſque ad annum XXXX. Iud.3.

Ehud Beniamita liberat Iſraelem ex tyran- 80
nide Eglon Moabitici regis,quæ durauit XVII annos: & gerit rempub.ad annum LXXX. Iud.3. Quo tempore Samgar geßit res præclaras, nec tamen inter iudices numerandus eſt: ut fecit Ioſephus, tribuens ei annũ unum: & Origenes,tribuens annos 4.

40 *Debora, non Delbora, aut Belbora, prophe tißa, ex tribu Ephraim, iudicauit Iſrael, & excitauit Barak è tribu Nephthalim, ut armis repelleret tyrãnidem Iabin regis Chananæi, quæ durauit annos* XX. *Qui rexit populum cum Debora, ad annum* XXXX. *Iud.4.5.*

40 *Gedeon è tribu Manaßis deleuit Madianitas, Amalekitas, & Iſmaelitas, qui ſeptem annos incurſionibus crebris uaſtarunt regiones Iſraeliticas: præfuitq́; reipub. ad annum* XXXX. *Iud.6.7.8.*

3 *Abimelech nothus filius Gedeonis, adiuuantibus Sichimitis, occidit fratres* LXX, *& occupata repub. tyrannidem exercuit annos* III. *Iud.9. Rabi Abraham tribuit ei annos 40. & Chronicon Ebr. hìc perplexum & mutilum eſt.*

23 *Thola è tribu Iſaſchar, iudicauit Iſraelem annos* XXIII, *pacata republica. Iud.10. Euſeb. Chronica Ebr. Ioſephus eum prætermittit.*

22 *Iair Galaadites geßit remp. annos* XXII. *Iud.10. Sub eius magiſtratu Amonitæ & Palæſtini afflixerunt Iſraelitas annis* XVIII. *Quanquã traditio Ebraica, in Chronico Euſebij accenſet iudicibus ſequẽtibus, ſed ineptè. Ineptius etiam Seder olam maius, & Euſebius 10. libro Euãg. præpar. interponunt hos 18. annos inter Iair & Iephthe.*

Iephthe

Iephthe,Galaadites repreßis hoſtib. qui an- 6
nos 18 afflixerunt Iſraelem ab ortu & occaſu, magiſtratum geßit annos VI.Iud.10.11.12. Porrò Iephthe cum rege Amonitarum diſceptans de iure occupatæ terræ, allegat annos CCC præſcriptionis. Qui per ſynecdocham intelligendi ſunt. Poſuit enim rotundum numerum, quum anni plures ſint ab egreſſu ex Aegypto,pauciores ab occupata terra.

Troia euerſa eſt, Fauni filio Latino, ex quo Latinorum regnum dici cœpit, Laurentumq; ceſſauit, regnante, ait Auguſtinus lib.18.de Ciuitate Dei. Cyrillus lib.1.contra Iulianum, collocat excidium Ilij ad Eſebon iudicem, anno CCCCX à natiuitate Moſis, LXV ante mortem Eli.Euſebius poſt Eſebonē anno tertio Abdonis apponit, anno CCCX, uel CCCVIII à natiuitate Moſis. Qui numeri corrupti ſunt neceſſariò:ſicut etiam apud Eutropium & Oroſium, anni ab euerſa Troia uſq; ad Romæ conſtructionem.Dionyſius Halicarnaſſeus aliquoties indicat,Romam eße conditā anno CCCCXXXII poſt Troiam captā. Ideo excidium illud Troiæ uſquequaque cantatum, & pueris notißimum, quod & magnitudine ſui, & ſcriptorum excellentibus linguis inſigniter diffamatum atque uulgatum eſt, ut inquit Auguſti-

nus,incidit in tertium annum Iephthe.

7 *Abeſſan , uel* Ibſan, *quem antiquiſsima trãſlatio Syriaca, quam uocãt* Hieroſolymitanam, *dicit* Boaz, *qui duxit* Ruth Moabitidem *uxorem,proauũ* Dauidis, *idq́; probant* Ebræorum *magiſtri, geßit munus iudicis annos* VII.Iud. 12.Euſeb.Ioſeph.

10 Elon, *ſiue* Aialon, *præfuit* Iſraeli *annos* X, Zabulonites.Iud.12.Ioſeph. *Chronica* Ebr.Euſeb. 10. *de* Præparat.euang.In Chronicis Euſebius *præterit, ac teſtatur in* LXX *interpretum libris non poni:qui tamen in codicibus impreßis ponitur.*

8 *Abdon, non* Labdon, *ut in* Euſebio *ſcribitur*, Pharathonites *è tribu* Ephraim, *egit iudicem annos* VIII,Iud.12.Euſeb. *Poſt eũ* Palæſtini *redigunt* Iſraelitas *in ſuã ditionem, annis* XL. *quos antiqua* Ebræorum *traditio adſcripſit iudicibus ſequentibus, ut* Euſebius *teſtatur. Sed* Chronicon Ebr. *maius ineptè* XX *annos aßignat* Iephthe, XX *ſequentibus iudicibus.Ineptius etiam* Ioſephus *interponit* XXXX *annos inter* Iephthe *&* Samſonem.

20 *Samſon* Danita, Nazaræus *inſtituto uitæ ſanctißimæ,quiq́; typum* CHRISTI *geßit in pleriſq; negocijs, cœpit* Iſraelitas *uindicare ex iſta* XXXX *annorum tyrannide,miris modis ue-*

dis ue-

dis uexans Palæſtinos per annos XX. Iud.13. 14.15.16. Euſeb.Ioſeph. Poſt mortem eius quũ deeſſet princeps in Iſrael, geſta uidentur, quæ narrat liber Iudicum in fine, cap.17.& ſequentibus capitibus.

Eli pontifex è familia Leuitica Ithamar, egit iudicem annos XXXX. 1. Reg. 4. Ioſeph. Chronica Ebr. Euſebius in Chronicis, & 10. Præpar. Euang. 40

Samuel Leuita, qui adoleuit in domo Eli pontificis, & Saul Beniamita rex primus in Iſrael, geſſerunt rempublicam annos XXXX. Euſeb. in Chronicis, & 10. lib. Præparat. euãg. Paulus act. 13. Poſthæc dedit eis iudices uſq; ad Samuelem prophetam. Et exinde poſtulauerũt regem, & dedit illis Saul filium Cis de tribu Beniamin, annis XXXX. Beda in cõment. Quærentes ſollicitius, ſicut & Chronicorum libri teſtantur, inuenimus Samuel & Saul annis quadraginta præfuiſſe Iſraeli. Ioſephus & cæteri Ebræi ponunt abſurdas rationes. Cæterùm numerus CCCCL, Actor.13. uidetur à librarijs deprauatus, pro illo, ὡς ἔτεσι τριακοσίοις πεντήκοντα, hoc eſt, circiter CCCL. Sunt enim ab egreſſu Iſraelitarum ex Aegypto uſque ad primum annũ Samuelis, anni CCCLXXXXVI. Quibus ſi detrahas annos XXXX Moſis, & 40

ſex annos, quibus Ioſue deuicit Chananæos, & poſtea diſtribuit ſortitò regiones, CCCL anni relinquuntur. Saul uerò non duobus duntaxat annis regnauit, ut quidam exiſtimant, moti ſcriptura 1.Reg.13. Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnauit ſuper Iſrael. Sententia enim eſt, ſicut Eucherius etiam exponit, quòd Saul optimus & ſimpliciſſimus regnum acceperit, ceu anniculus puer, & in ea innocentia perdurauerit annos duos: inde conuerſus in ſæuiſſimum tyrannum. Minimum enim X annos regnauit Saul: quod etiam ei tribuit Seder olam maius.

40 Dauid filius Ieſſe de tribu Iuda, pater Meſſiæ, & θεοπάτωρ inclytus propheta, quiq; figuram IESV CHRISTI prætulit, accepit regnum Iſrrelis iuxta uaticiniū Iacobi patriarchæ, à Deo per Samuelem uocatus, & declaratus, & unctus rex. Primùm quidem in Hebron regnauit annos VII, menſes VI. Inde in Hieruſalem omnium tribuum rex, uſque ad annum XXXX. 1. Reg.16. & deinceps uſque ad 2. cap.3. libri Regum. & 2. Paralip.29. Euſeb. Ioſeph. Ebræorum Chronica.

4 Solomon cœpit ædificare templum Dei magnificentiſſimum, & quod longè ſuperat omnia miracula orbis, anno quarto regni ſui, prima die

*die ſecundi menſis.*3.Reg.6.& 2.Paral.3.*ac deinceps.*Is *fuit annus* CCCCLXXX *poſt aſcenſum* Iſ*raelis in terrã promiſſã* : DCCCLXXX *poſt natum* Iſ*aac.*MCCLXXII *poſt diluuium:* MMDCCCCXXVIII *poſt initiũ mundi.* Q*uam ſummam ponit etiam* Chronicon Ebr*æorum maius.* R*abi* A*braham adijcit annum inſuper.* I*oſephus edidit falſum numerum lib.*8.*cap.*3.A*ntiquitatum:* C*œpit* S*olomon ædificare templum anno quarto regni ſui,menſe ſecundo,quẽ* M*acedones* A*rtemiſion uocant,*E*bræi autẽ* I*ar, anno quingenteſimoſecundo, uel ut in* G*ræco legitur codice, quingenteſimo quinquageſimoſecundo filiorum* Iſ*rael profectionis ex* A*egypto: poſt mille autẽ &* XX *annos aduentus* A*braham in* C*hananæã de* M*eſopotamia : à tempore uerò diluuij anno* MCCCCXXXX.A*b* A*dam autem protoplaſto anni ſimul ter mille centum & duo ſunt.*

S*olomon* D*auidis &* B*ethſabee filius,& felicißimus & ſapientißimus omniũ mortalium, quiq́; perſonam* CHRISTI *regis pacifici & optimi principis geßit,regnauit annos* XXXX.3.Reg.11.& 2.Paral.9.Euſeb.Ioſephus, *& cæteri* E*bræi.*S*i ergo iungantur anni* 36.*ad* 480.*fient in ſumma* DXVI *anni,ab initio politiæ* M*oſaicæ.* 36

HIEROBOAM.

Poſt ſchiſma & bipertitum regnum Iſraelis ad liberationem ex Babylonia per Cyrum, ſunt anni quadringenti quinquagintaquinque.

Ob Solomonis defectionem à Deo & idololatriã, non ſine culpa etiã totius populi Iſrael, Deus regnum ſcidit, ut poſteris Solomonis relinquerentur duæ tribus, Hieroboam autẽ ſeruus Solomonis acciperet X tribus. Sed Hieroboam metuẽs, ne populus eadem religione deuinctus, iterũ coaleſceret in unum ciuitatis corpus, inuexit nouã religionem, conſtructis templis cõtra Dei uerbũ, & propoſitis ſimulachris, alijsq́; cæremonijs. Quæ ſuperſtitio, uel potius impietas, adtulit ruinã toti gẽti. Alterũ regnũ Iuda, et Hieruſalem, & duarũ tribuũ uocatur: alterũ regnũ Iſrael, Samariæ, Ephraim, X tribuũ. Quum aũt magna fuerit omniũ rerũ cõfuſio, per ſeditiones & interregna, dũq; filius regnat aliquandiu cũ patre, aut uices gerit patris ægrotãtis, uel belligerãtis, hiſtoria quoq; ualde cõfuſa eſt, uſq; ad occaſum Iſraelitici regni. Et ut paucis abſoluã, concurrũt omnes cauſæ, quas libro priori expoſui, ob quas Chronographi ſæpe inter ſe diſcrepãt.

Verùm ut numerus annorum conſtet, ac euidentius cernatur, non pigebit me annos regum Iuda & Iſrael ſingulatim recenſere.

IV-DA		ISRAEL	
			Bipertito regno Iſrael inter Roboam & Hieroboam, regnatum eſt annos CCLXIII.
1		1	Roboã filius Solomonis regnauit in Iuda XVII annos. 3. Reg. 14. & 2.Paral. 12. Euſeb. Ioſeph. ſed Chronicon maius Ebræorum detrahit annum. Hieroboã filius Nabat Ephraimita, regnauit in Iſrael annos XXII. 3. Reg. 12. 13. 14. Euſeb.Ioſeph. Inter hos fuit bellũ perpetuũ.
2		2	
3		3	
4		4	
